MASTER NEGATIVE
NO. 93-81335-3

AUTHOR:

ABERNETTY, WALTHER

TITLE:

DE PLUTARCHI QUI FERTUR DE...

PLACE:

REGIMONTI

DATE:

1911

Master Negative #

93-81335-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Walther
Abernetty, ~~Gualterus~~: De Plutarchi qui fertur de superstitione libello. Regimonti 1911: Hartung. 100 S. 8°

Königsberg, Phil. Diss. v. 15. Aug. 1911, Ref. Wünsch

[Geb. 17. Dez. 87 Taplacken; Wohnort: Königsberg i. P.; Staatsangeh.: Preußen; Vorbildung: Wilhelms-Gymn. Königsberg Reife O. 07; Studium: Königsberg 8 S.; Rig. 30. Mai 11.] [U 12. 2834

Volume of pamphlets

571

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 4-28-93 INITIALS JAMES

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DE PLUTARCHI QUI FERTUR DE SUPERSTITIONE LIBELLO

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
REGIMONTANO
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUALTERUS ABERNETTY
TAPLACKENSIS

REGIMONTI
EX OFFICINA HARTUNGIANA
MCMXI

Gedruckt mit Genehmigung
der Philosophischen Fakultät der Kgl. Albertus-Universität
zu Königsberg i. Pr.

Referent: Prof. Dr. R. Wünsch.

RICARDO WUENSCH

sacrum

Inter Plutarchi Chaeronensis libros legitur etiam dissertatio quaedam de superstitione conscripta,[1]) quam esse ex scriptoris opusculis aetate primis viri docti putant.[2]) Quo de libello disserere interpretaturus locos dictu memorabiles cum in animo habeam, primum officium mihi datum esse puto, ut quibus subsidiis tractatus illius verba recenseantur, exponam.

De superstitione qui inscribitur libellus permultis codicibus nobis traditus est. Sunt enim triginta quattuor, qui scripti sunt temporibus inde a saeculo undecimo usque ad saeculum decimum sextum. Accedunt codices duo, qui libelli illius excerpta praebent.[3]) Codicum autem illorum lectiones nondum omnes excussae sunt. Ego quidem nullas lectiones nisi horum codicum cognitas habeo:

(C) Parisini 1955 Membr. saec. XI/XII[4])

(D) Parisini 1956 Membr. saec. XI/XII[5])

---

1) Plutarchum esse auctorem libri, qui inscribitur de superstitione, D. Wyttenbach probat, Plutarchi Chaeronensis Moralia Operum tom. VI Animadversionum primo, parte I, Oxonii 1810, p. 993 sqq.

2) R. Hirzel, Der Dialog, Leipzig 1895 vol. II, p. 157, 3.

3) De omnibus codicibus Plutarchi operum Moralium optime scripsit H. Wegehaupt, Plutarchstudien in italienischen Bibliotheken, Progr. Cuxhaven 1906.

4) vide M. Treu, De codicibus nonnullis Parisinis Plutarchi Moralium narratio, progr., Jauer 1871; M. Treu, Zur Geschichte der Überlieferung von Plutarchs Moralia III, Breslau 1884, p. 30; Bernardakis edit. I, p. XXVI.

5) vide D. Wyttenbach edit. vol. I, p. CIV, Bern. I, p. XVI.

(A) Parisini 1671 Membr. saec. XIII[1])
(E) Parisini 1672 Membr. saec. XIII/XIV[2])
(G) Parisini 2076 Chart. saec. XV[3])
(V^2) Marciani Gr. 250 Membr. saec. XI[4])
(V^1) Marciani Gr. 249 Membr. saec. XI/XII[5])
(V^3) Marciani Gr. 511 Membr. saec. XII[5])
Mosquensis 352 Membr. saec. XI/XII
Mosquensis 387 Membr. saec. XII
Ambrosiani M 82 sup. Chart. saec. XV[6])
Harleiani 5612 Chart. saec. XV
Cod. Coll. Nov. Oxon. 233 Chart. saec. XV
Neapolit. Gr. 350 (III *E* 28) Chart. saec. XV.

Illorum codicum lectiones invenimus in editionibus, quas fecerunt Fr. Matthaei, Plutarchi libellus de superstitione, Mosquae 1778, D. Wyttenbach I 2, Lipsiae 1799, G. N. Bernardakis I, Lipsiae 1908. Nonnulla prodidit Bernardakis in disputatione: De Plutarchi Moralium codicibus praecipueque de codice Parisino D n. 1956, Mnemosynae N. S. 24, 1896, p. 377 usque ad 396. Praeter illas editiones commemoratas inspiciendae sunt in libello emendando editiones, quas fecerunt J. G. Hutten, Tubingae 1796, II p. 54—81; Fr. Duebner, Paris. 1868, I p. 195—204; R. Hercher, Lipsiae 1872, p. 376—392; O. Holtze, Lipsiae 1885, p. 383—400; U. v. Wilamowitz-Moellendorff, Griechisches Lesebuch I 2, Berlin 1902, p. 330 sqq.

Qui codices sint optimi, nondum plane decerta-

1) vide M. Treu, Zur Geschichte der Überlieferung von Plutarchs Moralia I, Progr., Waldenburg 1877, p. 3 sq.
2) M. Treu, ibd.
3) vide D. Wyttenbach I 1, p. CIV.
4) vide M. Treu, Zur Gesch. I, p. 13 sq. et G. Wattenbach, Exempla codicum Graecorum, Heidelberg 1818, p. 13.
5) vide M. Treu, Zur Gesch. I, p. 14.
6) vide M. Treu, Zur Gesch. III, p. 8 sq.

tum est; sed proximis annis nova Plutarchi moralium scriptorum editio fiet, quae de illa quoque re accurate aget, vide H. Wegehaupt, Das Corpus Planudeum von Plutarchs Moralia. Sitzungsber. d. Akad. zu Berlin 1909, 2, p. 1030—1046. Itaque qui codices sint optimi, cum nondum constet cumque propterea fieri non possit ut e codicum lectionibus eas eligam, quas optimorum esse pateat, in commentario ego quidem spectabo, ut quae quoque loco lectio mihi videatur optima, illam sequar nullum codicem ubique reliquis anteponens.

De singulis locis in Plutarchi de superstitione libello, qui inscribitur, corrigendis multi viri docti disseruerunt, quos in ipso commentario suo quemque loco commemorabo. Sed priusquam incipiam rem ipsam tractare, commemorem libellos quosdam, qui commentarium criticum vel grammaticum vel exegeticum in Plutarchi, qui fertur de superstitione, libellum praebent.

Primus est commemorandus D. Wyttenbach, Plutarchi Chaeronensis Moralia, tom. VI, Oxonii 1810, p. 993—1038. Qui liber plurimi aestimandus est, sed ob vetustatem non caret debilitate. Non multo recentior est libellus ille certe diligentissime scriptus Caroli Fr. Hermann, Specimen commentarii critici ad Plutarchi de superstitione libellum, Heidelberg 1823. Commentarius autem ille non nisi ad prima libelli nostri capita pertinet. Deinde non praetermittam libellos quosdam, qui feruntur de Plutarchi sermone; sunt hi: B. Weissenberger, Die Sprache Plutarchs von Chaeronea, Straubing 1898, et J. Seidel, Vestigia diatribae qualia reperiuntur in aliquot Plutarchi scriptis moralibus, Breslau 1906. Denique commemorem commentarium exegeticum a Wilamowitzio conscriptum: Griechisches Lesebuch II 2, Berlin 1902, p. 203 sqq.

Ego vero, dum commentarium instituo, a Wyttenbachii libro proficiscar. Quo fit, ut hic illic, ubi opus erit, illius viri docti opinionem afferam. Quae autem Wyttenbachius praetermisit, quod ea vel non curavit vel praebere non potuit, illa praecipue addam.

403, 1.[1]) Plutarchi libello inscriptum est *περὶ δεισιδαιμονίας*. De hac voce Plutarchus ipse refert p. 404, 12 sqq. *τὴν δεισιδαιμονίαν δὲ μηνύει καὶ τοὔνομα δόξαν ἐμπαθῆ καὶ δέους ποιητικήν, ὑπόληψιν οὖσαν ἐκταπεινοῦντος καὶ συντρίβοντος τὸν ἄνθρωπον, οἰόμενον μὲν εἶναι θεούς, εἶναι δὲ λυπηροὺς καὶ βλαβερούς.* Est igitur *δεισιδαιμονία* deorum malevolorum timor, qui homines vexat et conficit. Neque tamen hoc vocabulum omnibus temporibus idem significavit. Xenophon et Aristoteles illo utuntur pro pietate, vide Cl. Jo. Babick, De deisidaemonia veterum quaestiones. Diss. Lips. 1891, p. 1. Vocabulum enim *δεισιδαιμονία* eodem modo factum est, quo *εὐσέβεια*; initio igitur utroque vocabulo nihil significatur nisi 'timor dei', vide Walter Otto, Religio und Superstitio, Archiv f. Religionsw. XII (1909) p. 537. Menandri demum temporibus *δεισιδαιμονία* vocabulum accepit illum sensum vilem, quem cognoscimus ex Plutarchi libello, vide Ernst Riess, On ancient superstition, Transactions of the American Philological Association 1895, XXVI p. 40. Ante Platonem enim daemones esse deos Graeci putaverunt. Ex illius autem temporibus daemones numina ducebantur, quae essent inter deos et homines, et Xenocrates docuit esse bonos daemones et malos, vide Waser, in Pauly-Wissowa Realencyclopaedie s. v. 'Daimon'; K. Lehrs, Populäre

1) In commentario conscribendo usus sum editione a Bernardake facta, quam putavi esse in manibus plurimorum. Numerus primus (403) significat paginam illius editionis vol. I, numerus secundus (1) paginae versum.

Aufsätze aus dem Altertum², 'Gott, Götter und Dämonen', p. 143—171, 'Dämon und Tyche', p. 189 sqq., A. Dieterich, Nekyia, Leipzig 1895, p. 59 sqq., Jul. Tambornino, De antiquorum daemonismo, Giessen 1909, RGVV VII, 3. Cum autem posterioribus temporibus viri docti deos quidem esse crederent, daemones esse negabant. Itaque illi, quibus daemones existere persuasum erat, 'superstitiosi' appellabantur, vel *δεισιδαίμονες*. Sed illud Plutarchus, ut iam supra vidimus, non habet in animo; eos nominat *δεισιδαίμονας*, qui putant deos eodem modo, quo daemones, hominibus nocere. vide p. 405, 12 *ὁ δὲ θεοὺς δεδιώς*, 405, 24; 406, 23 etc.

ἀμαθίας καὶ ἀγνοίας. Socrates docuit virtutem esse scientiam, Arist. Eth. Nic. *Z* 1144 B 28: *Σωκράτης μὲν οὖν λόγους τὰς ἀρετὰς ᾤετο εἶναι (ἐπιστήμας γὰρ εἶναι πάσας)*, vide E. Zeller, Die Philosophie der Griechen in ihrer geschichtlichen Entwicklung II 1⁴ p. 141. Ex nesciendo igitur ortum est vitium, Plat. Prot. 360a de falso timore: *Θαρροῦσι δὲ τὰ αἰσχρὰ καὶ κακὰ δι' ἄλλο τι ἢ δι' ἄγνοιαν καὶ ἀμαθίαν;* Plutarchus igitur Socratem secutus est, et fieri potest, ut vocabula *ἀμαθίας καὶ ἀγνοίας* scriberet commotus Platonis verbis.

p. 403, 3. *ἀντιτύποις*. Plutarchum hoc quoque loco Platonem secutum esse Wyttenbach annotavit tom. VI p. 998 sq., qui ad Platonis Theaetetum nos religat p. 156a: *καὶ μὲν δή, ὦ Σώκρατες, σκληρούς γε λέγεις καὶ ἀντιτύπους ἀνθρώπους*. Denique etiam *ὑγρός* et *ἁπαλός* vocabula iam a Platone coniungi videmus in Conviv. 196a: *νεώτατος μὲν δή ἐστι καὶ ἁπαλώτατος, πρὸς δὲ τούτοις ὑγρὸς τὸ εἶδος*.

p. 403, 7. *μοχθηρότατον* codd. D, Harl., *μοχθηρότερον* rell.[1]) Hoc loco *μοχθηρότερον* a Plutarcho

1) D. Wyttenbach. l. c. tom. VI p. 999.

scriptum, *μοχθηρότατον* autem librariorum coniectura ortum esse C. Fr. Hermann l. c. p. 8 sqq. optime probavit. *μοχθηρότατον* enim, quod facilius intellegi potest, contra Plutarchi loquendi usum est. Etiam Wyttenbach et Wilamowitz scripserunt *μοχθηρότερον*.

p. 403, 7. *πᾶν γὰρ πάθος — εἶναι.* Plutarchum Stoicos sequi annotavit Wyttenbach l. c. p. 999; illi enim impugnantes omnes affectus *τὴν ἀπάθειαν* petebant. vide E. Zeller III 1³ p. 233. Haec autem affectuum libertas ante Stoicos iam a Cynicis postulata est; vide E. Zeller II 1 p. 312. Plutarchus igitur hoc loco secutus est vel Stoicos vel Cynicos.

p. 403, 8. *φλεγμαίνουσα εἶναι.* Ubi vocales *α* et *ει* concurrunt, oratio hiare videtur, vide Rich. Volkmann, Die Rhetorik der Griechen und Römer, Leipzig 1885 p. 513. Plutarchus autem, qui hac in re sequebatur oratores Atticos, hiatum evitavit, vide Rud. Hirzel, Der Dialog II, Leipzig 1895, p. 125 sqq., R. Volkmann, Rhetorik, p. 513 annot. 1. Itaque G. E. Benseler, De hiatu in oratoribus Atticis et historicis Graecis, Freiburg i. Br. 1841, p. 435 hunc locum hiatu offensus corrigere voluit, censens *εἶναι* esse delendum. J. Schellens, De hiatu in Plutarchi Moralibus, diss., Bonn 1864, p. 9, contra docuit a Plutarcho declinationis primae breve *α* elidi. Qua de causa coniectura necessaria non est.

καθάπερ αἱ μετὰ τραύματος ἐμβολαί. Plutarchum persaepe ex arte medicina comparationes usurpavisse, philosophum cum medico, philosophiam cum medicina, vitia cum vulneribus ab eo comparata esse A. J. Dronkers, De comparationibus et metaphoris apud Plutarchum, diss., Traiecti ad Rhenum 1892, p. 13 docet. Ille largus comparationum usus erat diatribae cynicae proprium, vide R. Schuetze, Iuvenalis Ethicus, diss. Gryphiae 1905, p. 5 sqq., J. Seidel l. c. p. 18.

p. 403, 10. *ἀτόμους τις οἴεται .. ψευδὴς ἡ ὑπόληψις .. ὑπολαμβάνει τις .. τοῦτο τὸ ψεῦδος ἰὸν ἔχει .. πάλιν οἴονταί τινες .. αἰσχρὸν ἴσως τὸ ἀγνόημα.* Plutarchi sermonem brevem et alacrem fieri eo videmus, quod membra enuntiati *ἀσυνδέτως*, ut ita dicam, iuxta posuit. Hoc quoque diatribae est, vide Seidel l. c. p. 29.

ἀτόμους τις οἴεται — ὅλων. Haec doctrina exculta est a Leucippo et Democrito. vide E. Zeller l. l. I 2⁵, p. 837—967; quorum ex operibus postea Epicurus permulta sumpsit, vide E. Zeller III 1, p. 400 sqq.; von Arnim in Pauly-Wissowa Real-Encycl. s. v. Epikuros 4. Horum exemplum saepius adhibitum esse a philosophis, qui impugnabant affectus, Ioannes Stobaeus ostendit. In eclogis suis magnam materiam composuit de affectibus (Eclogae physicae et ethicae, lib. II, cap. VII, S. 10 sqq. ed. C. Wachsmuth vol. II, Berol. 1884), quam haustam esse magna ex parte ex Stoicorum veterum operibus putem. Ibi sententia legitur haec (S. 10a): *πάντες δ' οἱ ἐν τοῖς πάθεσιν ὄντες ἀποστρέφονται τὸν λόγον, οὐ παραπλησίως δὲ τοῖς ἐξηπατημένοις ἐν ὁτῳοῦν, ἀλλ' ἰδιαζόντως. οἱ μὲν γὰρ ἠπατημένοι, λόγου χάριν περὶ ⟨τοῦ⟩ τὰς ἀτόμους ἀρχὰς εἶναι, διδαχθέντες ὅτι οὐκ εἰσίν, ἀφίστανται τῆς κρίσεως· οἱ δ' ἐν τοῖς πάθεσιν ὄντες κτλ.*, vide Wyttenbach l. c. p. 1000.

p. 403, 12. *ἀλλ' ἕλκος οὐ ποιεῖ οὐδὲ σφυγμὸν οὐδ' ὀδύνην ταράττουσαν.* Plutarchus vocabula ex medicina deprompta frequentissime usurpavit. In libello de superstitione occurunt haec: p. 403, 12 *ἕλκος, σφυγμός*; 404, 5 *νοσήματα, πάθη*; 405, 16 *φλεγμοναί, τραύματα, νομαὶ σαρκός κτλ.* Qua re illum diatribas cynicas imitatum esse iterum probatur, vide J. Seidel, p. 11.

οὐ ποιεῖ οὐδέ. Plutarchum hiatum ante *οὐδέ*

vocabulum non evitavisse Car. Stegmann, Über den Gebrauch der Negationen bei Plutarch, progr. Geestemünde 1882, p. 2, docet; nam semper, qui loquitur, ante vocabulum *οὐδέ* novam sententiae partem significaturus pausam facit. Quae si ita sunt, vocibus *ποιεῖ οὐδέ* hiatus non efficitur.

p. 403, 13. *ταράττουσαν.* Plutarchum, quod iam supra dixi, oratores Atticos secutum esse ex ea quoque re cognoscimus, quod pro litteris *σσ* (*ταράσσουσαν*) Attica dialecto usus *ττ* scripsit, vide p. 405, 6; 406, 7; 406, 20; 407, 12; 407, 13; 408, 3; 409, 6; 411, 19 al. Interdum quidem Plutarchus dialecto suorum quoque temporum utitur, vide 405, 8; 406, 12 *θάλασσαν*, contra 405, 13 *θάλατταν.*

ὑπολαμβάνει τις . . . τὴν παρρησίαν ἀφαιρεῖται. Vehementissime sententiae contradicitur divitias esse petendas, ut Cynicos sequi Plutarchum putem, vide Zeller II 1, p. 316 sqq.

p. 403, 14. *τοῦτο τὸ ψεῦδος ἰὸν ἔχει, νέμεται κτλ.* Eodem modo, quo in diatribis cynicis, asyndeti figuram a Plutarcho saepissime alacritatis affectandae causa usurpatam in libello de superstitione invenimus, vide locos hos: 405, 13 *γῆν, θάλατταν, ἀέρα, οὐρανόν κτλ.* 406, 14 *πηλώσεις, καταβορβορώσεις, βαπτισμούς.* 408, 5 *πλοῦτον, εὐπορίαν, εἰρήνην, ὁμόνοιαν.* 408, 17 *ἐμπλήκτους, ἀπίστους, εὐμεταβόλους.* vide J. Seidel, p. 29.

p. 403, 16. *κατὰ τῶν πετρῶν* Wyttenbach, *κατὰ πετρῶν* Bernardakis cum codicibus D et Veneto 511, vide D. Wyttenbach tom. VI, p. 1000 et Bernardakem Mnemosynae N. S. 24, p. 386. Iam Wyttenbach recte annotavit verba *ψεῦδος . . ὠθεῖ κατὰ πετρῶν, τὴν παρρησίαν ἀφαιρεῖται* Plutarchum scripsisse secutum Theognidem (vers. 173—178), qui v. 176 dixit paupertatem necesse esse *ῥίπτειν καὶ πετρέων, Κύρνε, κατ' ἠλιβάτων*, et v. 178 *γλῶσσα δέ οἱ δέδεται.* Utram lectionem sequamur, non plane definire possumus, priusquam perspicue intelleximus, qui codex reliquos superet.

p. 403, 18. *σῶμα τὴν ἀρετὴν . . κακίαν.* Illa erat Stoicorum doctrina, vide Plutarchi librum, qui fertur de communibus notitiis adversus Stoicos p. 1084 a: *ἄτοπον γὰρ εὖ μάλα τὰς ἀρετὰς καὶ τὰς κακίας . . σώματα ποιουμένους ἐν μηδενὶ φάναι κεῖσθαι.* Plutarchus loco nostro scriptorem sequitur, qui impugnabat Stoicos, vide Wyttenbach tom. VI, p. 1000 sq. Zeller III 1, p. 235 sqq.

p. 404, 1. *ὦ τλῆμον ἀρετή — ἤσκουν.* Idem versus nobis traditi sunt a Dione Cassio XLVII, 49 *(Βροῦτος) ἀναβοήσας τοῦτο δὴ τὸ Ἡράκλειον 'ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγος ἄρ' ἦσθ' ἐγὼ δέ σε ὡς ἔργον ἤσκουν. σὺ δ' ἄρ' ἐδούλευες τύχῃ'.* Wyttenbach p. 1001 ex tragoedia quadam nobis non iam tradita Euripidis illa verba sumpta esse opinatur. A. Nauck TGF^2 adesp. 374 autem illos versus ponit inter fragmenta tragicorum incertorum. Wilamowitz denique Cynicum quendam Heraclem ita loquentem fecisse recte opinatur, vide Euripid. Heracl. I^1, p. 336 annot. 127; Ind. lect. Gott. aest. 1893, p. 18; Griech. Lesebuch II, 2, p. 204.

ταύτας non pertinet ad totam sententiam. Vituperantur verba *'ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγος ἄρ' ἦσθ(α)'.*

p. 405, 2. *μόνος δ' ὁ φόβος, οὐχ ἧττον ὢν τόλμης ἐνδεὴς ἢ λογισμοῦ, ἄπρακτον ἔχει . . τὸ ἀλόγιστον.* Hiatum *λογισμοῦ ἄπρακτον* pausa, quae post *λογισμοῦ* fit, excusari Benseler l. c. p. 435 opinatur. Illius sententiae Schellens p. 22 contradicit: 'Sed nullo modo possum Benselero assentiri hiatum esse ferendum putanti inter duo vocabula, quae Reiskius Hutteniusve commatibus separarunt (et iusto longe saepius id

factum est), quia tantam hiatus ponendi licentiam si Plutarcho condonaremus, prorsus non posset intellegi hiatuum tanta raritas. Itaque ad removendum hiatum nec non propter sententiam 165 d (405, 2) pro *μόνος δὲ ὁ φόβος οὐχ ἧττον ὢν τόλμης ἐνδεὴς ἢ λογισμοῦ, ἄπρακτον ἔχει .. τὸ ἀλόγιστον* censeo *λογισμοῦ καὶ* (insuper) *ἄπρακτον.*' Sed nemo est, qui neget post *λογισμοῦ* coli finem esse et in coli fine vocalium concursum tolerari, vide Kühner-Blass I, 198.

p. 405, 4. *ἄπρακτον ἔχει καὶ ἄπορον καὶ ἀμήχανον τὸ ἀλόγιστον.* Quod diatribas cynicas Plutarchus secutus est, quae anaphoram et epiphoram adamabant, saepissime in illius scriptis complura deinceps vocabula ab eadem syllaba incipientia vel desinentia scripta videmus, 405, 7 *ἀπρακτότατος, ἀπορώτατος,* 405, 16 *φλεγμοναί .. νομαί .. περιωδυνίαι,* 405, 23 *ἀναπνεῦσαι .. ἀναθαρρῆσαι,* 405, 27 *ἐγείρουσα .. στροβοῦσα,* 406, 1 *μαστιζομένην .. κολαζομένην αὐτήν* al., vide J. Seidel, p. 24 sq.

p. 405, 5. *συνδέον.* Plutarchum verbi *δέω* vocales mox contrahere, mox non contrahere Bernardakis I, p. LXXXV docet. Causa, cur hoc loco *συνδέον* et non *συνδοῦν* scripserit Plutarchus, facile intellegitur. Si enim scripsisset *αὐτοῦ τό .. συνδοῦν ὁμοῦ,* vocalium *ου* sonus ter elatus maxime offendisset omnes, qui audivissent.

p. 405, 8. *οὐ φοβεῖται θάλασσαν ὁ μὴ πλέων | οὐδὲ πόλεμον ὁ μὴ στρατευόμενος | οὐδὲ λῃστάς ὁ οἰκουρῶν κτλ.* Hoc loco isocolon[1]) exstat, quod in libello, qui fertur de superstitione, his quoque locis invenimus, 410, 25 *τοῖς μὲν ἀναισθησία καὶ ἀπιστία τῶν ὠφελούντων | τοῖς δὲ ταραχὴ καὶ φόβος πρὸς τὰ ὠφελοῦντα,* 411, 2 *φοβοῦνται τοὺς θεοὺς | καὶ καταφεύγουσιν ἐπὶ τοὺς θεούς,* 412, 23 *τὸν ἀσεβῆ, | τὸν ἐπάρατον, | τὸν θεοῖς καὶ δαίμοσι μεμισημένον.* Talia isocola in omnibus Cynicorum diatribis saepissime usurpata esse docet J. Seidel l. c. p. 30 sq.

1) de hac figura orationis vide R. Volkmann, Rhetorik, p. 482.

οὐ φοβεῖται θάλασσαν ὁ μὴ πλέων. Multae comparationes ex re navali petitae apud Plutarchum imitatorem diatribae cynicae inveniuntur, vide 414, 21 *τοῦτ' ἰδὼν κυβερνήτης εὔχεται μὲν ὑπεκφυγεῖν,* vide J. Seidel, p. 20.

οὐ φοβεῖται θάλασσαν .. οὐδὲ πόλεμον, οὐδὲ λῃστὰς .. οὐδὲ συκοφάντην .. οὐδὲ φθόνον .. οὐδὲ σεισμόν .. οὐδὲ κεραυνόν. Polysyndeton a Plutarcho saepius usurpatum videmus: 410, 24 *καὶ .. καὶ .. καί,* 411, 21 *καὶ .. καί,* 412, 14 *καὶ .. καὶ* quinquies, 415, 21 *καὶ* quinquies, 419, 19 sqq. *οὐδ' .. οὐδ' . ἢ .. ἢ . καὶ* octies, Eadem figura ab illis, qui diatribas scripserunt, amata est, vide J. Seidel p. 25 sq.

p. 405, 15. *πεδήτης* vocabulum raro apud scriptores Graecos usurpatum ex comoedia antiqua fortasse per auctores intermedios Plutarchum sumpsisse verisimillimum est. Crates enim et Callias scripserunt fabulas, quibus inscriptum erat *Πεδῆται;* vide CAF ed. Th. Kock I, Lips. 1880, p. 138 et 696. Aristophanem quoque illud vocabulum usurpavisse scimus, vide ibidem vol. I, p. 409.

p. 405, 21. *οὐ δίδωσιν εἰπεῖν ἡ δεισιδαιμονία.* Plutarchum rationem diatribae secutum rebus abstractis et inanimis sensus, actiones, affectus attribuisse J. Seidel, p. 21 annotavit.

p. 405, 22. *ποτε* vulg., *τότε* Pflugk et C. Stegmann, Über den Gebrauch der Negationen bei Plutarch, p. 23, qui censet Plutarchi loquendi usum hoc loco non pati *ποτε* vocabulum, post *οὐδὲ* enim Plutarchum ubique scripsisse *πώποτε,* vide Mor. 479 d: *οὐδ' ἐν νῷ πώποτε .. λαβόντος,* et Mor. 700 a: *οὐδὲ*

λίθος ἐν κοιλίᾳ πώποτε συνέστη. Sed paulo ante Stegmann ipse docuit apud Plutarchum post *οὐδὲ* scriptum esse *ποτε*, cuius testimonium attulit Nic. Crass. I 6 *τούτων αἰτίαν οὐδὲ ψευδῆ ποτε Νικίας ἔλαβεν* et Mor. 147, 18 (Duebner) *ὅθεν οὐδὲ ἀλούτους ποτέ φευκτέον ἐλθεῖν ἐπὶ τροφήν.* Itaque Stegmann illo loco non recte censuisse verisimile est. Sed hac coniectura omnino opus non est, nam quae tradita sunt, optime intellegi possunt, cum *ποτε* significare 'aliquando' meminerimus. *ποτέ γοῦν* est 'aliquando quidem' et totius loci sensus, 'neque unquam quidem quiescere animum patitur.'

p. 405, 29. *μαστιζομένην* et ad poenas apud inferos et ad poenas, quas sibi ipse superstitiosus infert, referri potest. Animas enim eorum, qui vivi peccata commiserunt, verberari Graeci crediderunt, Lucian. ver. hist. II 26 (*Ῥαδάμανθυς*) *ἐκ τῶν αἰδοίων δήσας ἀπέπεμψεν ἐς τὸν τῶν ἀσεβῶν χῶρον μαλαχῇ πρότερον μαστιγωθέντας*, vide A. Dieterich, Nekyia, p. 58 sqq.

p. 406, 2. *δεινὰ προστάγματα.* Plutarchus habet in animo mandata illa dura et absurda, quae agyrtae et impostores superstitiosis imponebant, vide p. 406, 11 *τὴν περιμακτρίαν κάλει γραῦν κτλ.*

p. 406, 4. *ᾔσθησαν* codices plerique et editiones primae, iota litterae *η* subscripto et spiritu leni addito. *ᾔσθονται* codex S. Marc. 511, *ἥσθοντο* codex Parisinus 2076.[1]) Quibus lectionibus verbum aut *ἥδεσθαι* aut

1) vide Wyttenbach tom. VI p. 1005: Ven. *ᾔσθονται*, J *ἥσθοντο.* Littera J apud Wyttenbachium codicem Parisinum Bibl. Regiae Parisiensis Num. Cat. 2078 significat, vide Wyttenbach I p. CV. Cum autem in codice illo Plutarchi libellus qui fertur de superstitione non scriptus sit (vide Wyttenbach I, p. CXIV et Wegehaupt, Plutarchstudien, p. 41), illo loco erratum esse censeo et scribendum esse pro J littera G, quae codicem Parisinum 2076 significat (vide Wyttenbach I p. CIV).

αἰσθάνεσθαι subesse potest. Lectio igitur, quam ut recipiamus fieri potest, est aut *ᾔσθοντο* aut *ἥσθησαν.* Quae cum ita sint, compluribus causis ego quidem, ut *ᾔσθοντο*, quod Bernardakis quoque praebet, scribam, adductus sum, quarum gravissima est, quod paulo post sequitur *ἀπάτης* (406, 5), quod postulat, ut verbum animadvertendi antecesserit; nam si scribis 'nihil verum esse gaudentes' necessarium est, eos fraudem illam perspexisse, itaque illa vera fraus appellari nequit.

p. 406, 6. *ἐξαπατῶσιν ἑαυτοὺς καὶ δαπανῶσι καὶ ταράττουσιν.* Huic loco Chr. Larsen, Studia critica in Plutarchi Moralia, Hauniae 1889, p. 150 sq. annotavit: 'Verbum *ταράττουσιν* ferri non posse intellexit Hercherus; primum enim interiectis verbis *καὶ δαπανῶσιν* vix audiri potest ex superioribus ad *ταράττουσιν* pronomen *ἑαυτούς*; deinde friget altero loco perturbationis iterata commemoratio, cum certe animo perturbati sint, priusquam pecuniam solvunt (comparentur verba illa: *ὅτι τῶν ταραξάντων οὐδὲν ἦν ἀληθινόν*). Hactenus igitur Hercherum sequor, sed quod idem vir doctus coniecit scribendum esse *καὶ σπαθῶσιν* parum habet probilitatis. — Fortasse scripsit Plutarchus *καὶ δαπανῶσι καταράτους τινάς εἰς ἀγύρτας καὶ γόητας ἐμπεσόντες λέγοντας.*' Sed Larseni argumentis non commoveor. Primum enim et ad *δαπανῶσιν* referri potest *ἑαυτούς* et ad *ταράττουσιν*; nam *ἑαυτὸν δαπανᾶν* est 'se ipse exhaurire', vide Thuc. IV 3 *τὴν πόλιν δαπανᾶν.* Deinde Plutarchus *ταράττειν* verbum scripsisse eo consilio videtur mihi, ut singula enuntiati membra sibi responderent: *ταραξάντων . . ἀπάτης* et *ἐξαπατῶσιν . . ταράττουσιν.* Unum quidem Larsenus recte dixit: 'certe animo perturbati sunt, priusquam pecuniam solvunt.' Ergo nihil nisi verborum ordo nos offendit. Cui facile mederi pos-

sumus scribentes: *ἐξαπατῶσιν ἑαυτοὺς καὶ ταράττουσι καὶ δαπανῶσιν*. Mutatione igitur graviore nobis opus non est.

p. 406, 7. *ἀγύρτας καὶ γόητας.* Hi erant homines, qui stipem cogentes et per terras peregrinantes superstitiosis praedicebant futura, quique lustrabant et initiabant sacris. Fraudulosos illos et nequissimos homines Plato quoque vehementer vituperavit, vide rep. 364b *ἀγύρται δὲ καὶ μάντεις ἐπὶ πλουσίων θύρας ἰόντες πείθουσιν ὡς ἔστι παρὰ σφίσι δύναμις ἐκ θεῶν ποριζομένη θυσίαις τε καὶ ἐπῳδαῖς κτλ.*, vide de illis P. Stengel in Pauly-Wissowa, Realencycl. s. v. 'Agyrtes'; G. Anrich, Das antike Mysterienwesen in seinem Einfluss auf das Christentum, Göttingen 1894, p. 22; G. E. Schoemann, Griechische Altertümer, 4. Aufl. von J. H. Lipsius, vol. II, Berlin 1902, p. 352 sqq.

p. 406, 10. *χθονίας θ' Ἑκάτης . . ἐδέξω.* Hecatae, ut erat Orci dea, est cognomen *χθονία*, vide E. Rohde, Psyche, Seelenkult und Unsterblichkeitsglaube der Griechen² II p. 80 sqq., H. Steuding in W. H. Roscher, Ausführliches Lexikon der Griechischen und Römischen Mythologie s. v. 'Hecate'; R. Wuensch, Antikes Zaubergerät aus Pergamon, Jahrb. des kais. deutsch. archäol. Inst. Erg.-Heft VI p. 22 sq. Hecates turba componitur ex animis illorum, qui vel intempestive mortui, vel vi interfecti, vel humo non conditi requiem non assequebantur apud inferos, quos appellabant Graeci *ἀώρους, βιαιοθανάτους, ἀτάφους*, vide Rohde, Psyche² II p. 411 sqq. et M. P. Nilsson, Griechische Feste von religiöser Bedeutung mit Ausschluss der attischen, Leipzig 1906, p. 394 sq. Illud, quod Graeci *Ἑκάτης κῶμον* nominaverunt, componi potest cum monstrorum exercitu, cui maiores nostri dederunt nomen 'Die wilde Jagd', vide K. Dilthey, Archäologische Streifzüge II. Die Artemis des Apelles und

die wilde Jagd, Rh. Mus. XXV (1870) p. 332. Illae animae, quae errabant et vagabantur, quicunque eis occurrebat, hunc affecerunt malo, somniis terrentibus, dementia, vide Rohde, Psyche² II, p. 84. Qua de causa scribit Hippocrates in libro *περὶ ἱερῆς νόσου*:[1]) *ὁκόσα δὲ δείματα νυκτὸς παρίσταται καὶ φόβοι καὶ παράνοιαι καὶ ἀναπηδήσεις ἐκ τῆς κλίνης καὶ φόβητρα καὶ φεύξιες ἔξω, Ἑκάτης φασὶν εἶναι ἐπιβουλὰς καὶ ἡρώων ἐφόδους, καθαρμοῖσί τε χρέονται καὶ ἐπαοιδῇσι, καὶ ἀνοσιώτατόν γε καὶ ἀθεώτατον ποιέουσι, ὡς ἐμοί γε δοκέει τὸ θεῖον*, vide Jul. Tambornino, De antiquorum daemonismo, RGVV VII 3, Giessen 1909, p. 68.

p. 406, 11. *τὴν περιμακτρίαν κάλει γραῦν.* Diatribarum scriptores secutus philosophus Chaeronensis saepe fictas personas, quibuscum disserit, introducit, vide 413, 20 *ταῦτα πάσχεις, ὦ κακόδαιμον* al., vide J. Seidel, p. 22.

Graeci crediderunt se per daemones inquinari et fieri posse purgamentis quibusdam, ut illi daemones expellerentur, vide Rohde, Psyche² II, p. 71 sqq. Quae opinio eos redegit ad magos et ad lustratores. Posterioribus enim temporibus lustrationis ritus ita difficiles cognitu et factu erant, ut homines certi earum rerum doctissimi illis fungerentur, velut *ἀγύρται* vel *γόητες*. Inter illos igitur est habenda *ἡ περιμακτρία γραῦς*. Vocula *περιμάκτριος*, quae a verbo *περιμάττειν* est derivata, significat 'tergere, detergere'. Nam qui lustrabantur luto, gypso, furfure oblinebantur et tum detergebantur. Hunc lustrationis ritum ex Thracia ab Orphicis sacerdotibus in Atticam illatum esse verisimile est, vide A. Dieterich, Nekyia, p. 72 sqq.; W. Kroll, Antiker Aberglaube, Sammlung gemeinverständ-

1) Medicorum Graecorum opera quae exstant ed. D. C. G. Kühn XXI, Lips. 1825 p. 592.

licher Vorträge, herausg. von R. Virchow N F. XII. Serie, Heft 278, Hamburg 1897, p. 34. Adhibitus est maxime in mysteriis, vide K. H. E. de Jong, de Apuleio Isiacorum mysteriorum teste, Leiden, p. 60; H. Hepding, Attis, seine Mythen und sein Kult, RGVV I Giessen 1903, p. 183; Lomeier, de veterum gentilium lustrationibus, Ultraiecti 1781, p. 119; Wyttenbach VI, p. 1006 sq.; Rohde, Psyche[2] II, p. 406; O. Immisch, Theophrasts Charaktere, herausgegeben, erklärt und übersetzt von der Philologischen Gesellschaft zu Leipzig, 1897, p. 131. Haec sacra imprimis mulierculae frequentaverunt, vide Demosth. XVIII 313 *τῇ μητρὶ τελούσῃ τὰς βίβλους ἀνεγίγνωσκες καὶ τἄλλα συνεσκευωροῦ, τὴν μὲν νύκτα νεβρίζων καὶ κρατερίζων καὶ καθαίρων τοὺς τελουμένους κἀπομάττων τῷ πηλῷ καὶ τοῖς πιτύροις κτλ.*

p. 406, 11. *βάπτισον σεαυτὸν εἰς θάλασσαν.* Alter lustrationis ritus est. Apud omnes fere terrae gentes corpus lavando daemones arceri creditur, vide I. Goldziher, Wasser als Dämonen abwehrendes Mittel, Arch. f. Religionsw. XIII, 1910, p. 20 sqq.; Kroll, Antiker Aberglaube, p. 33; Tambornino l. c. p. 103 sqq. Eodem modo Graeci quoque aqua lustrabantur, vide Wyttenbach VI, 1007; Rohde, Psyche[2] II, p. 405 sq. Maxime in mysteriis hoc lustrationis genus adhibitum est, vide Hesych. s. v. '*ἅλαδε μύσται*' *ἡμέρα τις τῶν Ἀθήνησι μυστηρίων*, vide Lomeier l. c. p. 177; Anrich l. c., p. 9, 15, 44; A. Mommsen, Feste der Stadt Athen im Altertum, Leipzig 1898, p. 214 sqq.

p. 406, 12. *καθίσεις . . διημέρευσον.* Magi superstitiosum, qui lustratur, in terra sedere iubent. Etiam in mysteriis quibusdam mystas in terra sedisse nobis traditum est, Demosth. XVIII 313 *καὶ καθαίρων τοὺς τελουμένους κἀπομάττων τῷ πηλῷ καὶ τοῖς πιτύροις καὶ ἀνιστὰς ἀπὸ τοῦ καθαρμοῦ κελεύων λέγειν κτλ.*

vocabulum *ἀνιστάς* nobis indicat illos sedisse, qui expiarentur, vide Lobeck, Aglaophamus, p. 646; Anrich l. c. p. 28 sq.

Vidimus igitur lustrationes varias a superstitioso, quem nocturna visa terruerunt, vel, ut ipse putat, Hecates turba perturbavit, adhiberi. Nam in somno summa pericula a daemonibus impendere hominibus opinabantur Graeci, vide Theod. Wächter, Reinheitsvorschriften im griechischen Kult, RGVV IX 1, Giessen 1910, p. 15. Qua de causa, cui nocte fuerat somnium funestum, mane lustrabatur, ne daemones nocere possent, Aristoph. Ran. 1340 *θέρμετε δ' ὕδωρ ὡς ἂν θεῖον ὄνειρον ἀποκλύσω.*[1])

p. 406, 14. *πηλώσεις, καταβορβορώσεις.* Utrumque vocabulum idem fere significat; agitur hic quoque de lustratione a mystagogis Orphicis adhibita. Nam hi docuerunt apud inferos animas impuras acerrime puniri, in luto et squalore iacere. Plat. Phaedon. 69 c *ὃς ἂν ἀμύητος καὶ ἀτέλεστος εἰς Ἅιδου ἀφίκηται, ἐν βορβόρῳ κείσεται* et rep. 365 e *τοὺς ἀνοσίους καὶ ἀδίκους εἰς πηλόν τινα κατορύττουσιν ἐν Ἅιδου.* Et quales poenae apud inferos, tales erant lustrationes. Si enim poenas futuras iam vivi homines suscepissent, mortuos se idem non iterum passuros esse Graeci putaverunt. Itaque primum in squalore et luto homines condiderunt, deinde lustraverunt. Quem ritum Plutarchus *πηλώσεις καὶ καταβορβορώσεις* appellat, vide Dieterich, Nekyia, p. 72 sq.

σαββατισμούς codd., *βαπτισμούς* Bentleius, Bernardakis. Lectionem traditam servem. *σαββατισμός*

1) Materiam de somniis composuit Lomeier l. c. p. 56 sqq. De somniis et somniorum interpretibus accurate disseruit B. Büchsenschütz: Traum und Traumdeutung im Altertum, Berlin 1868; vide praecipue p. 45 et 84. In omnibus quidem sententiis non facio cum Büchsenschützio.

est 'sabbati celebratio', vide Hebr. 4, 9 *ἄρα ἀπολείπεται σαββατισμὸς τῷ λαῷ τοῦ θεοῦ.* Sabbatum erat Iudaeorum dies festus v. Exod. 26, 8—11, quo die ritus certos Iudaei observabant, vide Ed. C. A. Riehm, Handwörterbuch des Biblischen Altertums, Bielefeld 1894 s. v. 'Sabbat'. Illos ritus igitur superstitiosus imitatur. Alio quoque loco libelli Plutarchus Iudaeorum ritus tamquam superstitiosos vituperat, p. 415, 13 sqq.

p. 406, 15. *ῥίψεις ἐπὶ πρόσωπον.* Plutarchus superstitiosum in faciem se proicere vituperat. Haec species enim adorationis Graecis turpis videbatur, vide C. Sittl, Die Gebärden der Griechen und Römer, Leipzig 1890, p. 178. Barbari contra et deos et omnes homines venerabiles hoc modo venerabantur, Gen. 42, 6 Iosephi fratres ante Iosephum in faciem se proiciunt, *προσεκύνησαν αὐτῷ ἐπὶ πρόσωπον ἐπὶ τὴν γῆν.* Ev. Luc. 17, 15 *εἷς δὲ ἐξ αὐτῶν .. ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ, εὐχαριστῶν αὐτῷ.* Graeci igitur eodem modo ac barbari se demittendo alios sibi benevolos reddere voluerunt et deos et daemones sibi propitios esse putaverunt, si numina venerabantur ut servi, qui timebant dominos, vide O. Gruppe, Griechische Mythologie und Religionsgeschichte, München 1906, p. 912; G. Appel, De Romanorum precationibus RGVV VII 2, Giessen 1909, p. 95 sqq.

p. 406, 16. *ἀλλοκότους προσκυνήσεις.* Primo est adhibitum *προσκυνεῖν* de illo qui se in terram proicit et osculatur terram. Ita Persae in terram se proicientes venerabantur regem, vid. Xen. Cyr. 8, 3, 14 *πάντες προσεκύνησαν.* Quod Plutarchus habet in animo, et propterea adiungit *ἀλλοκότους*, quod significat 'barbarum'.

Eodem modo atque Plutarchus iam Eupolis, ille

comicus saeculi quinti hos ritus in 'Baptis' aggressus erat, vide CAF ed. Kock I, 273 sqq.; Foucart, Des associations religieuses chez les Grecs, Paris 1873, p. 57 sqq.

p. 406, 20. Linguae non erat praecipua ratio in extispicio, nam ex iecore, hepate, corde imprimis divinatio ducebatur, vid. Wyttenbach VI, 1008 sq., G. Blecher, De extispicio capita tria, RGVV II 4, Giessen 1905. Sed reliquas quoque hostiae partes, ut rite fierent sacra, integras esse debere apparet. Et linguam seorsim exsectatam haruspici traditam esse non ignoramus, vide Wyttenbach VI, p. 1009, P. Stengel, Die Zunge der Opfertiere, Neue Jahrb. f. Philol. u. Pädag. 119 (1879), p. 687.

p. 406, 22. *ἀτόποις ὀνόμασι .. βαρβαρικοῖς.* Temporibus antiquis crediderunt dei nomen cum deo artissime conexum esse, vide W. Schmidt, Geburtstag im Altertum, RGVV VII 1, Giessen 1908, p. 111. Nemo, nisi ille, qui verum numinis nomen scit, hoc cogere potest, ut faciat, quae velit. Itaque in magia summum erat, dei nomen cognoscere, vide A. Dieterich, Eine Mithrasliturgie, Leipzig 1910, p. 111 sq.; Anrich, Antikes Mysterienwesen, p. 96; Fr. Pradel, Griechische und süditalienische Gebete, RGVV III 3, Giessen 1907, p. 342 (90) sqq. et 295 (43) sqq. Quod autem idem numen singulae gentes, sua quaeque lingua, implorabant, superstitiosi ignoraverunt, quod nomen inter multarum gentium varias appellationes esset verum. Optimum ergo illis videbatur deum implorare per omnium linguarum nomina. Ita factum est, ut illis temporibus idem deus imploraretur et nomine Aegyptio et Syrio et Phrygio et Hebraico, ne quid nominis praetermitteretur, vide R. Reitzenstein, Die hellenistischen Mysterienreligionen, Leipz. 1910 p. 17 sqq. Talium sunt plenae papyri magicae. Ex-

emplum afferam Papyri Parisinae v. 2779[1]) *ακροκοδηρε μουϊερωι χαρχαρ αδωναι ζευ* quo loco numen idem et nomine Graeco *Ζεὺς* et Hebraico nomine *αδωναι* imploratur. Talia Plutarchum in animo habuisse opinor. Similia Lucianus quoque *Μενίππος ἢ νεκυομαντεία* c. 9: *ὁ δὲ μάγος .. ἀνακραγὼν δαίμονάς τε ὁμοῦ πάντας ἐπεβοᾶτο καὶ Ποινὰς καὶ Ἐρινύας 'καὶ νυχίαν Ἑκάτην καὶ ἐπαινὴν Περσεφόνειαν' παραμιγνὺς ἅμα καὶ βαρβαρικά τινα καὶ ἄσημα ὀνόματα καὶ πολυσύλλαβα*, vide R. Wuensch, Defixionum Tabellae IG III 3, Appendix praef. p. XX sq.; E. Kuhnert, Pauly-Wissowa, Real-Encycl. s. v. *Ἐφέσια γράμματα*; Tambornino l. c., p. 80.

p. 406, 24. Vol. VII, p. L Bernardakis hunc locum corrigens scripsit: 'corr. vid. *ἀλλ' ὅ γ' ὁ κωμικός .. (εἴρηκε) .. ἔστι καὶ πρὸς τὸν δεισιδαίμονα εἰπεῖν* deleto *δέ* post *ἔστι*, ut apodosis sit.' Sed cum a verbo *εἰπεῖν* (407, 3), si Bernardakem sequamur, duo obiecta pendeant, quae minime inter se coniungi possunt, eum non sequar.

p. 406, 26. *κλινίδιον* Plutarchum diatribas imitatum deminutiva, ut res, quas nihili aestimet, significet, adhibere J. Seidel, p. 9 docet; vide 413, 1 *σακκίον*.

p. 407, 4. Plutarchum et *ἔδοσαν* et *ἔδωκαν* scripsisse Bernardakis I, p. LXXI docet. Inter alia affert exempla haec: p. 245 e *ἔδοσαν* et p. 258 f *ἔδωκαν*. Causa cur hoc loco Plutarchus scripserit *ἔδοσαν*, non *ἔδωκαν*, haec fuisse videtur, quod *κακῶν ἔδωκαν* vocabula minime pulcherrimum sonum praebent.

p. 407, 7. *ἀποδρᾶναι μὴ δυναμένης.* Negationem

1) Griechische Zauberpapyri von Paris und London ed. C. Wessely. Denkschriften der Wiener Akademie, Philol. Histor. Cl. 36. 1888.

participio attributam Plutarchus pro *οὐ* saepe *μὴ* contra usum loquendi classicum sumere adamavit, vide 408, 25 *μὴ παυομένων*, 410, 6 *μὴ βλέπων*, 410, 26 *μὴ νοοῦσα*, vide Stegmann, Über den Gebrauch der Negationen, p. 18. Kühner-Gerth II, 201 annot. 3.

p. 407, 16. Plutarchus qui hoc loco dicit: *ἦν φοβερὸς ἐν Κορίνθῳ Περίανδρος* sibi ipse contradicit; nam in libro, qui inscribitur: *τῶν ἑπτὰ σοφῶν συμπόσιον* (146 b—164 d) ut mitem et sapientem Corinthiorum tyrannum descripsit. Plutarchus, ut de eadem re non eodem modo semper iudicaret, eo commotus esse videtur, quod nimis presse auctores neque semper eosdem secutus est. Hoc loco Cynicum quendam imitatus videtur esse, qui omnem tyrannum hominem perditum esse putabat et omnes tyrannos despiciebat, vide Zeller II 1, p. 324.

p. 407, 19. Bernardakis secutus Hercherum *ποῖ .. ποῖ* scripsit, quippe quod e verbis *μεταστῆναι* et *φυγεῖν* pendeat, cum editiones reliquae et, ut videtur, codices omnes *ποῦ .. ποῦ* praebent. Sed in litteris Graecis persaepe accidit, ut verbum movendi coniungatur cum particula, quae statum significat, Soph. Trach. 40 *κεῖνος δ' ὅπου βέβηκεν οὐδεὶς οἶδε* et Plat. Phaedon. 113 a *οὗ αἱ τῶν τετελευτηκότων ψυχαὶ τῶν πολλῶν ἀφικνοῦνται*, vide Kühner-Gerth I 540 et 545 annot. 4.

p. 407, 23. *ἔστι καὶ δούλοις .. ἐπιεικέστερον.* Iam antiquis temporibus Athenienses a crudelitate dominorum rudium servos tuebantur; illis enim licuit, ut ad asylum profugientes ibi peterent, ut alii domino venirent. Tale asylum Athenis Thesei templum erat. Ita rem fuisse ostendit nobis hic locus Teletis (p. 6, v. 8)[1]) *οἰκέτης πρὸς τὸν κύριον ἐφ' ἱερὸν καθίσας δι-*

1) Teletis reliquiae ed. O. Hense, Tubingae 1909.

καιολογεῖται '*τί μοι μάχῃ;*' vide M. H. E. Meier u. G. Fr. Schömann, Der attische Process, neu bearb. von J. H. Lipsius, Berlin 1883—87, II, p. 625 sq.

p. 408, 3. *σωτήρ* et *μειλίχιος* erant cognomina a Graecis saepissime deis imposita, Soph. O. R. 150 *Φοῖβος .. ἅμα σωτήρ θ' ἵκοιτο*, Thuc. I 126, 6 *Διάσια, ἃ καλεῖται Διὸς ἑορτὴ Μειλιχίου.* Precis materia plane Plutarchea videtur, nam similia in nonnullis Plutarchi scriptis legimus, vide Mor. 239 a, 688 a, 1064 d, 1077 c, vide Wyttenbach VI, p. 1011.

p. 408, 5. *εἰρήνην, ὁμόνοιαν* Hercher et Bernardakis. Quem verborum ordinem esse verum non verisimile est; nam et codices (Wyttenbach illorum lectionem a verbis in editione scriptis differre non annotavit) et editiones reliquae *ὁμόνοιαν εἰρήνην* scripserunt. Hercher hoc loco erravisse videtur, et neglegenter illum secutus est Bernadakis.

p. 408, 7. *ἀτύχημα ἡγοῦνται.* Litteram *α* in singulari neutrius generis declinationis tertiae a scriptoribus Graecis ante vocalem elisam esse non ignoramus. Kühner-Blass I, 233. Plutarchum illos secutum esse probant loci hi: Mor. 341 e, 534 b, 562 e. vide Schellens l. c. p. 7.

p. 408, 11. *πόσῳ δὲ δεινότερον οἴεσθε πάσχειν αὐτοὺς ἀνεκφεύκτους λαμβάνοντας* D et Neapol. 28. *λαμβάνοντας* omis. rell. omnes,[1]) *αὐτούς* omis. A, C, Coll. Nov., Mosqu. 1 et 2.[2]) Codicis D et Neapolitani lectionem facillime intellegi posse nemo neget. 'Quanto deteriorem putatis esse eorum sortem, quibus sunt, quos evitare, a quibus profugere vel transire non licet.' Sed ea est causa, cur illorum lectio mihi maxime fit suspecta; nam non video, quomodo fieri possit, ut verba tam perspicua ita mutilarentur, ut

1) Bernardakis I, p. XXI.
2) Wyttenbach I 2, p. 160.

oreretur codicum reliquorum lectio. Itaque primo lectiones spectem difficiliores. Mihi quidem verisimillimum videtur a Plutarcho scriptum esse *πόσῳ δὲ δεινότερον οἴεσθε πάσχειν ἀνεκφεύκτους .. ἀνυποστάτους*; qua in lectione *πάσχειν* trahit casus accusativos *ἀνεκφεύκτους κτλ.* (sc. *δεσπότας*). Hom. Il. III 126 sqq.

πολέας δ' ἐνέπασσεν ἀέθλους,
Τρώων θ' ἱπποδάμων καὶ Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων,
οὓς ἕθεν εἵνεκ' ἔπασχον.

'Quanto autem atrocius putatis pati dominos, quos evitare non licet?' Cum iam veteres, quosnam alloqueretur Plutarchus, non intellexissent, loci sensum restituere cupidi primo *αὐτούς* addiderunt. Ita pendebat ab *οἴεσθε* accusativus cum infinitivo. Quod autem etiam tum loci sensus non erat plane perspicuus, alii praeterea addiderunt post *ἀνυποστάτους* vocabulum *λαμβάνοντας*. Ita orta est lectio, quam praebent codices D et Neapolitanus 28.[1])

p. 408, 12. *ἔστι δούλῳ φεύξιμος βωμός.* Aram esse focum deorum Graeci crediderunt. E. Reisch, Pauly-Wissowa, Realencycl., s. v. 'Altar'. Itaque eodem modo, quo pater familias omnes ad focum profugientes tuebatur, defendebant ab insequentibus illum, qui consederat in ara. P. Stengel, Pauly-Wissowa, Realencycl., s. v. Asylon; Schoemann-Lipsius II, 215 sq.

p. 408, 14. *πολεμίους οἱ φεύγοντες* Hercher et Bernardakis; editiones reliquae et codices (ut videtur)

1) De eodem loco scripsit Hugo Wachendorf, Observationes criticae in nonnullos locos Plutarchi. Gymn. Progr. Düsseldorf 1890, p. 6 sqq., qui coniecit scribendum esse *πόσῳ δὲ δεινότερον οἴεσθαι ἀνεκφεύκτους, ἀναποδράστους, ἀνυποστάτους;* Coniectura *οἴεσθαι* mihi quidem non modo non necessaria videtur, sed etiam falsa. Nam *δεινότερον* est cum *πάσχειν* coniungendum, quod probant verba antecedentia.

οἱ omiserunt. Lectio πολεμίους οἱ φεύγοντες articulo addito Reiski debetur coniecturae, quod Herchero et Bernardaki annotandum fuit, licet Reiski lectio ab Hercheri differat eo quidem, quod Reiskius articulum ponit ante πολεμίους. Sed in hac sententia articulus οἱ participio φεύγοντες additus minime postulari videtur. Non raro enim apud scriptores classicos participia non addito articulo inveniuntur, quae genus totum, non totius generis partem significant. Plat. leges 759 b διαφέρει δὲ πάμπολυ μαθὼν μὴ μαθόντος. Cur autem editores illi huic participio attribuisse putant Plutarchum, qui δούλῳ et λῃσταῖς vocabulis eodem loco positis non addidit?

p. 408, 15. ἢ ναοῦ. C. Stegmann, Kritische Beiträge zu Plutarchs Moralia, Leipzig 1886, p. 9 illa verba omittit commotus his causis: '166 e ἂν ἀγάλματος λάβωνται ἢ ναοῦ θαρροῦσιν würde ich die Worte ἢ ναοῦ streichen, denn sie bewirken nicht nur einen unzulässigen Hiat, sondern stören auch die Koncinnität der drei Glieder, in denen die Worte βωμός — ἱερῶν — ἀγάλματος einander parallel stehen.' Quarum causarum alteram probo, primam reicio. Hiatum enim post syllabam αι a Plutarcho elidendo sublatum esse Bertholdus Müller, Plutarch über die Seelenschöpfung im Timaeus, Breslau 1873, p. 17 sq. ostendit.[1]) Nihilo minus altera causa a Stegmanno commemorata commoto etiam mihi persuasum est, verba ἢ ναοῦ postea neglegenter addita esse.

p. 408, 16. φρίττει καὶ φοβεῖται καὶ δέδοικεν. Stegmann in commentarii supra commemorati p. 9 verba καὶ φοβεῖται omittenda esse opinatur; nam illa supervacanea esse iuxta verba φρίττει et δέδοικεν et verisimile sibi videri postea verbum illud ex φοβού-

1) vide Kühner-Blass I, p. 237.

μενοι (408, 17 ἐν οἷς οἱ φοβούμενοι τὰ δεινότατα τὰς ἐλπίδας ἔχουσιν) exortum additum esse. Hanc sententiam sequi non possum, cum causae non satis graves, ut verba codicibus omnibus tradita omittamus, videantur mihi. Praeterea sequuntur illa verba plane Plutarchi sermonem. vide 411, 21 πάθη χαλεπὰ καὶ μεγάλα καὶ δυσαπάλλακτα τῇ λύπῃ προςοικοδομῶν.

p. 408, 25. Apud inferos esse poenas aeternas omnes gentes putaverunt. vide Jes. 64, 24 καὶ τὸ πῦρ αὐτῶν οὐ σβεσθήσεται. Ev. Marc. 9, 47 βληθῆναι εἰς τὴν γέενναν, ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται. Verg. Aen. VI 400 'licet ingens ianitor antro | aeternum latrans, exsanguis terreat umbras'. ibid. 600 'nec fibris requies datur ulla renatis'.

p. 408, 26. Portas esse quasdam Orci iam Homeri temporibus putatum est. Od. XI 571 κατ' εὐρυπυλὲς Ἄιδος δῶ, Il. XXIII 74, Il. V 646, Il. IX 312.

p, 409, 1. Flumina ignis plena non raro commemorantur a scriptoribus, qui loca infernorum describunt. Luc. Ver. hist. II cap. 30: ἐλθόντες δὲ ἐπὶ τὴν εἱρκτὴν καὶ τὸ κολαστήριον πρῶτα μὲν τὴν φύσιν τοῦ τόπου ἐθαυμάζομεν. τὸ μὲν γὰρ ἔδαφος αὐτὸ μαχαίραις καὶ σκόλοψι πάντη ἐξηνθήκει, κύκλῳ δὲ ποταμοὶ περιέρρεον, ὁ μὲν βορβόρου, ὁ δὲ δεύτερος αἵματος, ὁ δὲ ἔνδον πυρός, πάνυ μέγας οὗτος καὶ ἀπέρατος.

ἀπορρῶγες Στυγός. Illos iam ab Homero commemoratos esse videmus. Od. X 514: Κώκυτός θ' ὃς δὴ Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀπορρώξ. Eodem modo de Titaresio dicitur Hom. Il. II 755.

p. 409, 2. σκότος. Tenebras fuisse apud inferos praeter alios Aristophanes docet. Ran. 273 Δι. τί ἐστι τἀνταυθοῖ; Ξανθ. σκότος καὶ βόρβορος. Apud inferos πολυφάντασια εἴδωλα fuisse Graeci opinati sunt, vide Aristoph. Ran. 285 sqq. Verg. Aen. VI, 289: 'Gorgones Harpyiaeque et forma tricorporis umbrae.'

p. 409, 3. *οἰκτραὶ φωναί.* vide Apul. Metam. VI 18 'nec setius tibi pigrum fluentum transmeanti quidam supernatans senex mortuus putris adtollens manus orabit, ut eum intra navigium trahas, nec tu tamen inlicita adflectare pietate.'

p. 409, 4. *δικασταὶ δὲ καὶ κολασταί.* Ab Orphicis et Pythagoreis de animis mortuis iudicari et animas sceleratas puniri creditum est, vide A. Dieterich, Nekyia, p. 143; Ludw. Ruhl, de mortuorum iudicio, RGVV II 2, Giessen 1903. De iudicibus Plat. ep. VII 335 a *πείθεσθαι δὲ ὄντως ἀεὶ χρὴ τοῖς παλαιοῖς τε καὶ ἱεροῖς λόγοις, οἳ δὴ μηνύουσιν ἡμῖν ἀθάνατον ψυχὴν εἶναι δικαστάς τε ἴσχειν.* De punientibus Plat. rep. X, p. 615 e *ἐνταῦθα δὴ ἄνδρες, ἔφη, ἄγριοι, διάπυροι ἰδεῖν, παρεστῶτες καὶ καταμανθάνοντες τὸ φθέγμα, τοὺς μὲν διαλαβόντες ἦγον, τὸν δὲ Ἀρδιαῖον καὶ ἄλλους συμποδίσαντες χεῖρας τε καὶ πόδας καὶ κεφαλήν, καταβαλόντες καὶ ἐκδείραντες εἷλκον παρὰ τὴν ὁδὸν ἐκτὸς ἐπ' ἀσπαλάθων κνάμπτοντες, καὶ τοῖς ἀεὶ παριοῦσι σημαίνοντες ὧν ἕνεκά τε καὶ ὅτι εἰς τὸν Τάρταρον ἄγοιντο.* vide Plutarchum quoque p. 828 f in libello de vitando aere alieno, qui verba Platonis supra commemorata sequitur.

p. 409, 4. *χάσματα.* Huius vocabuli singularis saepe adhibetur pro 'Orco', vide papyrum Paris. 2535 *καὶ ταρτάρου* (Wessely *Τάρταρον*) *χάσμα φαεινόν.* Eodem modo *μυχός* pro *Ἅιδης* vocabulo usurpatur, vide K. Dilthey, Über die von E. Miller herausgegebenen griechischen Hymnen. Rh. Mus. N. F. 27 (1872) p. 408 sqq. Sed illius nominis pluralis quoque invenitur, vide Eur. Phoen. 1604 *Ταρτάρου γὰρ ὤφελεν ἐλθεῖν Κιθαιρὼν εἰς ἄβυσσα χάσματα.*

p. 409, 5. *μυχοὶ μυρίων κακῶν γέμοντες.* Orphicos loca infernorum plena finxisse ingentis maeroris luctusque docet nos praeter alios locos Petri Apoca-

lypsis[1]), quae sequitur Orphicorum doctrinam. Permulta mala ibi enumerantur. vers. 22 *τινὲς ἐκ τῆς γλώσσης κρεμάμενοι,* vers. 23 *λίμνη μεγάλη πεπληρωμένη βορβόρου φλεγομένου,* 24 *γυναῖκες τῶν πλοκάμων ἐξηρτημέναι κτλ.*

Vidimus igitur Plutarchum vehementissime illam religionem popularem et mystagogos aggredi, qui hominum mores corrigere voluerunt terrendo, quique innumerabiles poenas post mortem animas exspectare affirmaverunt. Iam supra illos mystagogos fuisse Orphicos et Pythagoreos commemoravi, a quorum ratione plane aliena fuit Stoica et Cynica, vide A. Dieterich, Nekyia 143; Ad. Dyroff, Die Ethik der alten Stoa, Berl. Stud. N. F. II 2—4, 1897, p. 225 sqq. Per Orphicos autem et Pythagoreos illae opiniones circumferebantur et pro mysteriis etiam proditae sunt, quod Lucian. *κατάπλους* cap. 22 docet, ubi umbra, quae venit ad inferos, quaerit ex altera umbra *εἰπέ μοι — ἐτελέσθης γάρ, ὦ Κυνίσκε, τὰ Ἐλευσίνια δῆλον ὅτι — οὐχ ὅμοια τοῖς ἐκεῖ ἐνθάδε;*

p. 409, 6. Vocabulo *κακοδαίμων*, quod significabat hominem, cui erat malus daemon, Graeci insaniam mentis significaverunt, cum putarent dementiam a daemone quodam hominem occupante effici, vide Tambornino l. c. p. 55 sq. Idem valet de vocabulis derivatis vel *κακοδαιμονία* vel *κακοδαιμονάω.* Arist. *Πλοῦτος* 372: *Βλε. μῶν οὐ κέκλοφας, ἀλλ' ἥρπακας; Χρε. κακοδαιμονᾶς.*

p. 409, 16. *μουσικήν φησιν ὁ Πλάτων.* Plato artem musicam et gymnasticam esse fundamenta doctrinae humanitatisque docet, vid. rep. II 376 e *ἔστι δὲ που ἡ μὲν ἐπὶ σώμασι (παιδεία) γυμναστική, ἡ δ' ἐπὶ ψυχῇ μουσική.* Artem musicam cum arte gym-

1) ed. A. Dieterich, Nekyia, p. 2 sqq.

nastica coniunctam homines mollitia et crudelitate liberare docet Plato rep. 410 c: *Ἆρ' οὖν . . οἱ καθιστάντες μουσικῇ καὶ γυμναστικῇ παιδεύειν, οὐχ οὗ ἕνεκά τινες οἴονται καὶ καθιστᾶσιν, ἵνα τῇ μὲν τὸ σῶμα θεραπεύοντο, τῇ δὲ τὴν ψυχήν;* Quibus artibus quidnam efficiatur, elucet e verbis quae sequuntur: *ὅτι οἱ μὲν γυμναστικῇ ἀκράτῳ χρησάμενοι ἀγριώτεροι τοῦ δέοντος ἀποβαίνουσιν, οἱ δὲ μουσικῇ μαλακώτεροι αὖ γίγνονται.* Putabat igitur Plato artem musicam liberare animam vitiis *σκληρότητος* et *ἀγριότητος* eodem modo ac Plutarchus p. 409, 19 dicit 'musicam in ordinem rursus redigere animi rationes per incontinentiam et errorem luxuriantes', vide Zeller II 1, p. 633.

p. 409, 18. Ab Herchero primo *ὥστε*, quod codices non tradunt, additum est, sed cum iniuria, ut videtur; *καθιστᾶν* est enim infinitivus, qui pendet a *δοθῆναι*, vide Herod. VI 23: *τοὺς δὲ κορυφαίους αὐτῶν τριηκοσίους ἔδωκε τοῖς Σαμίοισι κατασφάξαι.*

p. 410, 6. *ἐχρῆτο δυστυχίᾳ.* E sermone populari sumpta esse videntur illa verba. Iam Plato eis utitur legum l. XI 929 e *δυστυχίᾳ χρώμενοι.*

p. 410, 7. Athamas in venatione filium interfecit Iunonis voluntate deceptus illumque esse cervum ratus, vide Apollodori Biblioth. lib. I par. 84 et lib. III par. 28 (ed. R. Wagner, Lips. 1894); O. Gruppe, Griech. Mythol. I 135 sq.; K. Seeliger, Roscher Myth. Lex. s. v. 'Athamas', J. Escher-Burkli, Pauly-Wissowa, Realencycl. s. v. 'Athamas'. Agauam autem Liber pater dementem fecit, ut filium suum Pentheum Thebanorum regem dilaniaret (vide Apollodorum l. c. III par. 36) opinata illum esse leonem (Eur. Bacch. 1212 sqq.), vide O. Gruppe l. c. I 87 sq.; W. H. Roscher, Myth. Lex. s. v. 'Agaue'; G. Knaack, Pauly-Wissowa, Realencycl. s. v. 'Agaue'.

p. 410, 8. Herculem interfecisse suos filios erat fama notissima, postquam scripserat Euripides fabulam illam '*Ἡρακλῆς*, cuius versus 922—1015 cum Plutarchi loco sunt conferendi, vide O. Gruppe l. c. I 485. A. Furtwängler, Rosch. Myth. Lex. s. v. 'Herakles'. U. v. Wilamowitz-Moellendorff, Griech. Tragödien IV, Eur. Herakles, Berlin 1899, p. 5 sqq. U. v. Wilamowitz-Moellendorff, Euripides Herakles I^2, Berlin 1895, p. 81—88.

p. 410, 18. *χαλκοτύποις μὲν πείθονται .. προσκυνοῦσιν.* Vehementissime Plutarchus illos aggreditur, qui simulacra venerabantur ut deos,[1]) qui deum hominibus similem esse dixerunt. Cynicos sequitur, quos eodem modo illis sententiis illusisse non ignoramus; vide illud Antisthenis dictum:[2]) *Ἀντισθένης . . (θεὸν) οὐδενὶ ἐοικέναι φησίν· διόπερ αὐτὸν οὐδεὶς ἐκμαθεῖν ἐξ εἰκόνος δύναται.* vide Zeller II 1, p. 328 sqq.

p. 410, 20. *ἀνθρωπόμορφα τῶν θεῶν τὰ εἴδη ποιοῦσι, καὶ τοιαῦτα πλάττουσι* ita D; in ceteris pro *τὰ εἴδη ποιοῦσι* scriptum est *τὰ σώματα εἶναι*, 'quae nos quoque supplevissemus, si eorum loco lacuna esset in codicibus; sed vera non sunt' affirmat Bernardakis, Mnem. XXIV 386. Attamen ego quidem codicem D non sequar; nam verbis *τῶν θεῶν τὰ εἴδη ποιοῦσι, καὶ τοιαῦτα πλάττουσι* fit tautologia, qua magnopere offendor. Quomodo autem factum sit, ut, qui codicem D scripsit, lectionem traditam *τὰ σώματα εἶναι* mutaret, facile intellegi potest: is enim, quod sequitur, *καὶ τοιαῦτα πλάττουσι* non pro indicativo, sed falso pro dativo participii habuit.

p. 410, 26. In hoc libello Plutarchus *ἀπιστία*, si

1) de illa re Weinreich, Antike Heilungswunder, RGVV VIII 1. 137 sqq.

2) Clementis Alexandrini (ed. O. Stählin, Leipzig 1906), Stromat. V 108, 4.

rem cui diffiditur expressurus est, nusquam cum praepositione coniungit, sed genetivum obiectivum contra usum classicum scribit, vide 404, 10 *τῇ ἀπιστίᾳ τοῦ θεοῦ*, 404, 19 *ἀπιστίαν τοῦ ὠφελοῦντος*, 410, 26 *ἀπιστία τῶν ὠφελούντων*. Quo loco maxime mirum est, quod paulo post vocabula *ταραχή* et *φόβος* cum praepositione *πρὸς* coniunguntur.

p. 411, 4. *λοιδοροῦσι*. Superstitiosi artem magicam esse, qua usi homines plus valerent quam dei, opinabantur. Illa ars magica praeter alia docebat homini esse utilitati deis et daemonibus maledicere, vide Sittl, Gebärden, p. 116 sqq. L. Radermacher, Schelten und Fluchen, Arch. f. Religionsw. XI, Leipzig 1908, p. 11 sqq.

p. 411, 15. *περιπαθῇ* D solus, *βαρυπαθῇ* cett. vide Bernardakem I, p. XXI. Sed codicem D sequi non possumus; nam *βαρυπαθῇ* scribendum esse videtur, quamquam *βαρυπαθεῖν* in litteris Graecis non nisi hoc loco scriptum esse concedo. Quin autem e legibus sermonis verbum *βαρυπαθεῖν* ut apud Graecos fuerit, fieri possit, ne dubitemus. Nam Plutarchum vocabula nova coniungentem *βαρυ* cum aliis vocabulis finxisse notum est, vide B. Weissenberger, Die Sprache Plutarchs von Chaeronea, Straubing 1895, p. 13, *βαρύλυπος* Mor. 114 f; *βαρύθυμος* ib. p. 13 e; *βαρυθυμία* ib. p. 417 d et p. 477 e; *βαρυθυμέομαι* ib. p. 739 e; praeterea verbum *ἡδυπαθεῖν*, quod eodem modo ortum est ac *βαρυπαθεῖν* a Plutarcho interdum usurpatum est, Mor. 134 f et 148 b. Quae cum ita sint, librarium aliquem verbum *περιπαθεῖν* creberrime apud Plutarchum usitatum[1]) neque longe ab hoc loco scriptum (p. 412, 26) mutavisse in *βαρυπαθεῖν*, quod apud Plutarchum nusquam legerat, num verisimile est?

1) v. D. Wyttenbachii Indicem Graecitatis s. v. *περιπαθεῖν*.

Praeterea consulto Plutarchum vocabula *δυσφορῇ καὶ βαρυπαθῇ* adhibuisse puto, ut vocibus et *δυς* et *βαρυ* gravis affectus optime indicaretur.

ἐπὶ τὴν τύχην. Stoici crediderunt mundum providentia quadam (*πρόνοια*) regi, non fortuna (*τύχη*), vide Aetium I 27, 5 (Stoicorum veterum Fragm. coll. Io. ab Arnim I. Zenonis Citiensis fr. 176) *Ζήνων ὁ Στωικὸς ἐν τῷ περὶ φύσεως (τὴν εἱμαρμένην) δύναμιν κινητικὴν τῆς ὕλης κατὰ ταὐτὰ καὶ ὡσαύτως, ἥντινα μὴ διαφέρειν πρόνοιαν καὶ φύσιν καλεῖν*. Quibus de rebus posterioribus temporibus permultum scriptum est, vide Epicteti dissertationes ab Arriano digestas, quarum I 6 est inscripta *περὶ προνοίας*, eodem modo I 16 et III 17. Ita de *τύχῃ* quoque in illis diatribis actum est. Inspiciamus Dionis Prusaensis, qui ex cynicis operibus hausit, orationes:[1]) Oratio LXIII *περὶ τύχης πρῶτος λόγος*, oratio LXIV *περὶ τύχης δεύτερος λόγος*, oratio LXV *περὶ τύχης τρίτος λόγος*.[2]) Impius igitur, qui dicit omnia in mundo fieri fortuna regente sine quadam providentia, aggreditur Stoicorum doctrinam. Plutarchus hoc loco cynicis vel stoicis diatribis usus esse videtur.

p. 411, 19. Codex D solus habet *πράττεται*, quod corruptum esse ex antiquiore lectione *ταράττεται* vel *σπαράττεται* Wyttenbachius VI, p. 1015 opinatur; *σπαθᾶται* codd. cett. Cum Wyttenbachius, quem Wilamowitzius sequitur, scriberet *σπαθᾶται*, Bernardakis *ταράττεται* coniecit, sed ut mihi quidem videtur cum iniuria; nam adverbia *συγκεχυμένως καὶ ἀκρίτως*, quae optime cum *σπαθᾶται* verbo coniungi possunt, minime congruunt cum verbo *ταράττεται*. Etiam aliis locis

1) vide H. v. Arnim, Leben und Schriften des Dio von Prusa, Berlin 1898, p. 246 sqq.

2) v. de illis orationibus: Arnim l. c. p. 268 sq. et praeterea O. Weinreich, Antike Heilungswunder, p. 128 sqq.

σπαθᾶν apud Plutarchum scriptum legimus. Pericl. c. 14 *καταβοώντων τοῦ Περικλέους ὡς σπαθῶντος τὰ χρήματα.*

p. 412, 14. *σώματος ἀρρωστία πᾶσα.* Graeci omnes morbos a deis missos esse crediderunt. Hom. Od. V 394 sqq.

ὡς δ' ὅτ' ἂν ἀσπάσιος βίοτος παίδεσσι φανήῃ
πατρός, ὃς ἐν νούσῳ κῆται κρατέρ' ἄλγεα πάσχων,
δηρὸν τηκόμενος, στυγερὸς δέ οἱ ἔχραε δαίμων.

Vide M. Höfler, Krankheitsdämonen, Arch. f. Religionsw. II (1899), p. 86 sqq. Ad. Abt, Die Apologie des Apuleius von Madaura und die antike Zauberei, RGVV IV 2, p. 187, 199, 202; R. Wuensch, Deisidaimoniaka, Arch. f. Religionsw. XII (1909), p. 29 sq.; Wächter, Reinheitsvorschriften, p. 39.

p. 412, 16. *πληγαὶ θεοῦ καὶ προςβολαὶ δαίμονος.* Plagas daemonum deorumque hominibus maxime nocere putabant superstitiosi. Itaque implorabant deos, ut essent *ἀνειδωλόπληκτοι* (Paris. pap. mag. 1036 ed. Wessely l. c.), vide Weinreich, Antike Heilungswunder, p. 59 sqq. *προςβολή* dicitur malum divinitus missum. Eodem modo legimus in Arist. Pac. v. 39 sq. *χὤτου ποτ' ἐστὶ δαιμόνων ἡ προςβολὴ οὐκ οἶδ(α).* Illa vocula est desumpta e sacerdotum augurumque sermone, vide J. van Leuwen ad Arist. Pac. l. l.

p. 412, 27. *ἀποκεῖραι κόμην, ἀφελέσθαι ἱμάτιον.* Illa erant luctus signa. Quod probat hic locus Heraclidis, De reb. publ. fr. IX 4[1]): *Επὶ δὲ τοῖς τελευτῶσιν οὐδὲν ἐστι πένθος ἐν ἀνδράσι περὶ ἐσθῆτα ἢ κουράν,* vide Schoemann-Lipsius l. c. II, p. 601; Rohde, Psyche² I, p. 17.

Insequentibus igitur versibus Plutarchus superstitiosum, quomodo de morte vel filii sui (vide p. 412, 15)

1) Heraclidis de rebus publicis FHG II, p. 215, Mueller.

vel alius cuiusdam lugens se gerat, describit. Primo dicit de illo *ἔξω κάθηται.* Superstitiosus se ipse punit, quod sub caelo, non domi diem agit. Se vexando deos sibi propitios reddere vult (vide supra p. 18). Deinde Plutarchus narrat superstitiosum sacculum habuisse. Sacculus erat signum maeroris. Euseb. Hist. eccl. II 10, 8: *ἡ πληθὺς (τῶν Ἰουδαίων) δ' αὐτίκα σὺν γυναιξὶ καὶ παισὶν ἐπὶ σάκκον καθεσθεῖσα τῷ πατρίῳ νόμῳ τὸν θεὸν ἱκέτευον ὑπὲρ τοῦ βασιλέως, οἰμωγῆς τε πάντ' ἦν ἀνάπλεα καὶ θρηνῶν.* Qua ex gente ille maeroris ritus ortus fuerit, idem Eusebius dicit, nempe ex Iudaeis. *σάκκος* est derivatum ex lingua hebraica שַׂק. A. Müller, Nacktheit und Entblössung in der altorientalischen und alten griechischen Kunst, Leipzig 1906, p. 41 illum saccum idem fuisse atque antiquis temporibus apud Iudaeos subligaculum opinatur. Quod probare verba 'saccum circum coxas ponere' et similia, Gen. 37, 34 *καὶ ἐπέθετο σάκκον ἐπὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ.* Ille vestitus erat paupertatis signum; qui illum habuit, se, dum divitiis se privari ostenderet, se submisit alicui maiori. Qua de causa victus ante victorem saccum sumpsit, poenitens ante deum (Ant. Test. Reg. I 21, 27; Reg. II 19, 1 al.), lugens ante mortuum potentem (Gen. 37, 34; Sam. II 3, 31; Ierem. 6, 26). Nostro loco superstitiosus, poenitens ante deum, sacculum habet. Plutarchus igitur Iudaeorum ritus in animo habuisse videatur. Sed Syris de rebus Plutarchus disserit. Syri eadem maeroris signa habuerunt, quae Iudaei finitimi, vide Menandri frag. 544 (CAF Kock III 2):

Παράδειγμα τοὺς Σύρους λαβὲ
ὅταν φάγωσ' ἰχθύν, ἐκεῖνοι διά τινα
αὐτῶν ἀκρασίαν τοὺς πόδας καὶ γαστέρα
οἰδοῦσιν. ἔλαβον σακίον, εἶτ' εἰς τὴν ὁδὸν

ἐκάθισαν αὐτοὺς ἐπὶ κόπρου, καὶ τὴν θεὸν ἐξιλάσαντο τῷ τεταπεινῶσθαι σφόδρα.

Illum Menandri locum Plutarchus secutus est.

περιεζωσμένος ῥάκεσι ῥυπαροῖς. Apud Graecos tunica cingulo continebatur. Pro illo cingulo superstitiosus pannis sordidis utitur. Hac miserabili specie sperabat superstitiosus se deorum misericordiam incitaturum esse. Legimus autem inter poenas enumeratas in apocal. Petri v. 30: *γυναῖκες καὶ ἄνδρες ῥάκη ῥυπαρὰ ἐνδεδυμένοι ἐκυλίοντο.* Ergo etiam apud inferos, ut punirentur, homines sordidis pannis velati erant.

p. 413, 2. *γυμνός.* Vestibus interdum contineri mala Graeci putabant. Qua de causa magi nudi artes magicas persaepe coluerunt. v. Plin. nat. hist. XXVI 93: 'Negat Apollo pestem posse crescere, cui nuda virgo restinguat,' vide Kroll, Antiker Aberglaube, p. 21; L. Deubner, de incubatione capita quattuor, Lips. 1900, p. 24; Abt, Apologie des Apuleius, p. 172; Wächter, Reinheitsvorschriften, p. 24; Jos. Heckenbach, de nuditate sacra sacrisque vinculis, RGVV IX 3, Giessen 1911, p. 35 sqq. Superstitiosus igitur noster nudus est, ne lustratio prohibeatur. Sed aliter quoque, cur sit nudus, explicari potest. Homines vestes sibi induunt, ut ornentur. Vestimenta multa et pulchra significabant hominem locupletem. Itaque de Germanis Tacitus prodit c. 17: 'Locupletissimi veste distinguuntur.' Ut vestes pulchrae virum nobilem significabant, ita vestium inopia erat humilitatis. Qua de causa in bello captos ante victorem nudos se proicere legimus. Cim. et Luc. iud. (Plut. vit. parall.) c. III: *Τιγράνης δ' αὐτὸς ἑαυτὸν γυμνὸν καὶ ἄνοπλον φέρων ὑπέρριψε Πομπηΐῳ.* Superstitiosus igitur summa inopia deorum et daemonum misericordiam movere vult, itaque saccum induit, sordidis pannis cinctus vel nudus in limo se volutat.

ἐν πηλῷ κυλινδούμενος, vide s. p. 17 *πηλώσεις.*

p. 413, 3. *ἐξαγορεύει.* Superstitiosus ille suam culpam enuntiat. Qua re expiatum suorum vitiorum poenam se apud inferos non soluturum esse putat. Sin autem non plane pronuntiat res male factas, apud inferos atrocius se puniri opinatur. v. Verg. Aen. VI 567: '(Rhadamanthus) castigatque auditque dolos, subigitque fateri, | quae quis apud superos, furto laetatus inani, | distulit in seram commissa piacula mortem.' ib. vers. 618 sqq. Similia aliis quoque locis legimus, vide Journ. of hell. stud. X (1889), p. 220: *Ἀπε[λλᾶς Ἀπολλ]ωνίου Μοτελληνὸς ἐξομολογοῦμε κολασθεὶς ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ἐπεὶ ἠθέλησα μεῖνε μετὰ γυνεκός· διὰ τοῦτο οὖν παραγγέλω νᾶσιν μεδένα καταφρονεῖ τῷ θεῷ ἐπὶ ἕξει τ[ὴν στ]ήλην ἐξουπλάριον. — μετὰ τῆς ἐμῆς γυνεκὸς Βλειδίδος.* Eug. Fehrle, die kultische Keuschheit im Altertum RGVV VI, Giessen 1910, p. 133; Ed. Norden, P. Vergil. Maro Aen. VI, Leipz. 1903, p. 269.

p. 413, 4. *ὡς τάδε φαγόντος ἢ πιόντος.* Ex Orphei temporibus Graeci castigate viventes se deis placere opinati sunt et a certorum ciborum potusque voluptate se averterunt, v. Rohde, Psyche[2] II 125 sqq. Summa continentia illis videbatur carnes aspernari. Quod apud Strabonem de Thraciis Mysis legimus, VII C 296 *λέγει δὲ τοὺς Μυσοὺς ὁ Ποσειδώνιος καὶ ἐμψύχων ἀπέχεσθαι κατ' εὐσέβειαν*; Plat. leges 782 c *Ὀρφικοί τινες λεγόμενοι βίοι ἐγίγνοντο ἡμῶν τοῖς τότε, ἀψύχων μὲν ἐχόμενοι πάντων, ἐμψύχων δὲ τοὐναντίον πάντων ἀπεχόμενοι.* Sed erant etiam potiones nefastae. Conferamus Athenaeum IV 161 b *Ἄλεξις δ' ἐν Ταραντίνοις· οἱ πυθαγορίζοντες γάρ, ὡς ἀκούομεν, οὔτ' ὄψον ἐσθίουσιν, οὔτ' ἄλλ' οὐδὲ ἓν ἔμψυχον, οἶνον τ' οὐχὶ πίνουσιν μόνοι,* v. Zeller III 2, p. 80. Illa continentiae praecepta in populo exorta ab Orphicis et

Pythagoreis exculta, recepta sunt in mysteria, quod ostendit Porphyr. de abstin. IV 16 *παραγγέλλεται γὰρ καὶ Ἐλευσῖνι ἀπέχεσθαι κατοικιδίων ὀρνίθων καὶ ἰχθύων καὶ κυάμων, ῥοιᾶς τε καὶ μήλων*, v. Zeller I 1, p. 31; R. Wuensch, Das Frühlingsfest der Insel Malta, Leipz. 1902, c. IV, die Bohnenblüte, p. 31 sqq.; E. de Jong, de Apuleio Isiacorum Mysteriorum teste, p. 64 sqq. Eodem modo illa continentiae praecepta venerunt in artem magicam, v. Kroll, Antiker Aberglaube, p. 30; De Jong l. c. p. 59; H. Hepding, Attis, seine Mythen und sein Kult, RGVV I, Giesen 1903, p. 155 sq. et 182. In mysteriis autem, imprimis Orphicis et Pythagoreis, superstitiosus ita veritus est illa praecepta, ut ea neglegentem se maxime dei iram movisse putaret.

βαδίσαντος ὁδόν. Superstitiosos credidisse esse vias, quas ire esset nefas, Theophrasti hiç locus nos docet: Theophr. Char. XVI, par. 3 *καὶ τὴν ὁδὸν ἐὰν ὑπερδράμῃ γαλῆ, μὴ πρότερον πορευθῆναι, ἕως διεξέλθῃ τις ἢ λίθους τρεῖς ὑπὲρ τῆς ὁδοῦ διαβάλῃ*, v. O. Immisch ad Theophr. l. c.; Fr. Pradel, Griechische Gebete, RGVV III 3, Giessen 1907, p. 382 (130). Gu. Link, de vocis 'sanctus' usu pagano, diss. Regim. 1910, p. 8 sqq. de locis, quos calcare nefas est, loquitur.

Plutarchus igitur hoc loco superstitiosum maxime de morte alicuius familiaris maerentem describit. 'Signa maeroris mirifica induit, ut specie tristissima moveat deorum et daemonum misericordiam. Omnia, quae peccaverit, enumerat, quod putat propter suam culpam liberos suos mortuos esse. Peccata autem sunt, quae contra caerimonia et ritus egit.'[1]) Illam putabat Plutarchus esse dementiam, opinari deos postulare res tam ridiculas et deos peccata punire tam acerbissime.

1) v. Rohde, Psyche² II, p. 74 annot. 1.

p. 413, 6. *καὶ συνῇ πράῳ δεισιδαιμονία.* Reiskius in editione annotavit: '*πρᾶος* generis communis in usu non est; mallem igitur *πραείᾳ δεισιδαιμονία.*' Wilamowitzius quoque scripsit *πραείᾳ*. Reiski coniecturae Wyttenbach, quod omnibus codicibus *πράῳ* traditum est, non assentitur. Wyttenbachium sequitur Bernardakis, qui Plutarchum amore varietatis formarum, ut *πράῳ* pro *πραείᾳ* scriberet, commotum esse opinatur (I p. LXVI). Nam aliis quoque locis Plutarchum adiectivis, quibus sunt formae generum omnium, ut adiectivis generis communis usum esse, ut iuxta Num. 8 *Νύμφης ὀρείας ἔρως*; Mor. p. 965 c *ὀρείου . . ἄγρας*; Tit. c. 4 *ὄρειος ὁμίχλη* et Mor. 75 e *φρόνησιν ἄθροον*; Mor. 132 e *ἤπιος ὑγρότης* alia. Sed aliquanto differunt loci illi a Bernardaki allati a nostro Plutarchi loco. Nam illa adiectiva eodem modo, quo a Plutarcho, ab aliis quoque scriptoribus usurpantur. Lucian. Demon. c. 1 *τροφαὶ ὄρειοι*; Athen. III p. 120 d *τὰς δὲ ἀθρόους ἐν ἀρχῇ πόσεις ἐκκλιτέον*; Eur. Tro. 53 *ἐπῄνεσ' ὀργὰς ἠπίους.* — *τῇ πράῳ δεισιδαιμονίᾳ* autem nusquam nisi in libello de superstitione legimus, v. Kühner-Blass I p. 533. Qua de causa hoc loco nobis corrigendum est. Coniectura autem *πραείᾳ* mihi violentior videtur. S. A. Naber Verslagen en Mededeelingen d. K. Akademie van Wetenschappen, Tweede Reeks, Eerste Deel, Amsterdam 1871, p. 31 sq. et Observationes miscellaneae ad Plutarchi Moralia, Mnemosyne N. S. XXVIII, p. 107 non modo adiectivo *πράῳ*, cuius certe formam *πραείᾳ* adhibendam fuisse censet, offenditur, sed etiam iunctura *πραείᾳ δεισιδαιμονίᾳ*. Itaque coniecit scribendum esse *γραώδει δεισιδαιμονίᾳ*. Illam coniecturam autem minime faciliorem esse quam *πραείᾳ* nemo est, qui neget. Ceterum *γραώδης* a Plutarcho (si Wyttenbachi Index Graecitatis verum praebet)

nusquam adhibitum est. Qua de causa coniecturam a Nabero factam ego quidem probare non possum. Sed *πράως* legendum esse videtur mihi; v. Teletis reliquias rec. O. Hense[2], p. 18 v. 4 *καὶ γυναικὸς χαλεπότητα πράως ἔφερε.* Ex voce *πράως* in codicibus manuscriptis neglegenter orta est forma *πράωι*, quae formae erant simillimae. Optime nunc respondent sibi adverbia *ἄριστα* et *πράως*.

p. 413, 6. *περιθειούμενος.* S. A. Naber l. c. p. 107 pergit: 'Praeterea codicum lectio est *περιθυόμενος* quam Hercherus correxit, sed scribendum non *περιθειούμενος* sed *περιθεούμενος*. Etenim Menandri locus, quem Plutarchus ante oculos habuit (CAF III p. 152 frg. 530, 21 sq. Kock): *περιμαξάτωσάν σ' αἱ γυναῖκες ἐν κύκλῳ καὶ περιθεωσάτωσαν.*' Verbum *περιθειόω* apud Graecos fuisse Hesychius nos docet s. v. *περιθειῶσαι. περικαθᾶραι, κυρίως θείῳ.* In dialecto autem Attica pro *ει* ante *ο* vel *ου* saepissime *ε* primo dictum deinde et scriptum esse non ignoramus, vide K. Meisterhans-Schwyzer, Grammatik der attischen Inschriften, Berlin 1900, p. 42 sq. Menandrum *περιθεωσάτωσαν* non *περιθειωσάτωσαν* sumpsisse metro probatur. Plutarcho autem Menandrum secuto inter *περιθεούμενος* et *περιθειούμενος* optio data erat. Et ego quidem opinor Plutarchum sumpsisse *περιθειούμενοι*; nam ita melius intellegi potest, quomodo ex *περιθειούμενος* in codicibus *περιθυόμενος* factum sit; vocales enim *ει* et *υ* temporibus posterioribus eodem modo efferebantur (Kühner-Blass I, 46 sqq.).

Sulphur vim lustrationis habere iam antiquis temporibus Graeci putaverunt, Hom. Od. 22, 481 *οἶσε θέειον γρηῦ, κακῶν ἄκος, οἶσε δέ μοι πῦρ | ὄφρα θεειώσω μεγάρον*, et Hom. Od. 22, 492—95, vide Lomeier l. c. p. 192 sq. Itaque etiam apud inferos sulphur esse Graeci opinabantur; nam quae initio lu-

strandi causa animis mortuorum fiebant vexationes, postea deorum pro poenis habitae sunt. v. Luciani ver. hist. II c. 29 *ἐπεὶ δὲ τὸν εὐώδη ἀέρα προϊόντες παρεληλύθειμεν, αὐτίκα ἡμᾶς ὀσμή τε δεινὴ διεδέχετο οἷον ἀσφάλτου καὶ θείου καὶ πίττης ἅμα καιομένων*, v. A. Dieterich, Abraxas, p. 36 annot. 1 et Nekyia, p. 200; Schoemann-Lipsius II p. 375.

p. 413, 7. *περιματτόμενος.* Eum quoque fuisse lustrationis ritum saepissime ab anu perfectum iam supra p. 15 sq. commemoravi.

p. 413, 9. *αὐτῷ περιάπτουσι . . περιαρτῶσι.* Anus superstitioso amuleta iniecisse Plutarchus Bionem (de quo infra in extrema dissertationis parte acturus sum) secutus refert. Graecorum plurimi semper res quasdam secum tulerunt, a quibus daemones abhorrere putaverunt, v. L. Deubner in Hastings Dictionary of Religion and Ethics s. v. Charms and amulets. Tales res erant deorum simulacra aut res dis sacrae aut signa speciei obscoenae, quibus vim daemones arcendi inesse putabant, vide E. Riess, Pauly-Wissowa, Realencycl. s. v. 'Amulett'; Sittl, Gebärden, p. 122; Fr. Pradel, Griechische und süditalienische Gebete, Beschwörungen und Recepte des Mittelalters, RGVV III 3, Giessen 1907, p. 375 sqq. (123); G. Kropatscheck, de amuletorum apud antiquos usu capita duo, Gryphiae 1907. In re magica talia amuleta erant permulta et papyri magicae sunt plenae locorum, in quibus amuleta describuntur. v. pap. Par. (ed. Wessely) 1335 *ἔχων φυλακτήριον τῶν αὐτῶν ζώων τρίχας πλοκίσας σεῖραν, ἥνπερ ὡς διάδημα φόρει περὶ τὴν κεφαλήν.* pap. Par. 2145 sqq. *τούτους τοὺς στίχους ἐάν τις ἀποδράσας φορῇ ἐν σιδηρᾷ λάμνῃ, οὐδέ ποτε εὑρεθήσεται· ὁμοίως τὴν αὐτὴν λάμναν περίαπτε τῷ μέλλοντι ἀποθνήσκειν καὶ πάντα ἀκούσεται, ἃ ἐπερωτᾷς.* Quin etiam de Pericle Plutarchus refert illum amule-

tum, quod anus ei iniecerunt, gerendum accepisse, ut a peste se defenderet, Pericl. c. 38 *ὁ γοῦν Θεόφραστος ἐν τοῖς Ἠθικοῖς διαπορήσας, εἰ πρὸς τὰς τύχας τρέπεται τὰ ἤθη καὶ κινούμενα τοῖς τῶν σωμάτων πάθεσιν ἐξίσταται τῆς ἀρετῆς, ἱστόρηκεν, ὅτι νοσῶν ὁ Περικλῆς ἐπισκοπουμένῳ τινὶ τῶν φίλων δείξειε περίαπτον ὑπὸ τῶν γυναικῶν τῷ τραχήλῳ περιηρτημένον, ὡς σφόδρα κακῶς ἔχων, ὅποτε καὶ ταύτην ὑπομένοι τὴν ἀβελτερίαν*, v. Jul. Tambornino, de antiquorum daemonismo, p. 80 sqq.

p. 413, 10. *τὸν Τηρίβαζον .. παρασχεῖν.* Teribazum ducem egregium. cui ab Artaxerxe Mnemone rege imperium contra Cyprios delatum erat, Oronte calumniante rex ad se captum adduci iussit. De qua re praeter Plutarchum egerunt Diodorus XV, 8 et Polyaenus VII, 14. Polyaenus refert Teribazum cum dolo captum esse, Diodorus de hac re nihil tradidit. Plutarchus igitur neque Diodorum neque Polyaenum secutus esse potest. Wyttenbach Plutarchum ex Theopompo rem sumpsisse opinatur (VI, 1021); Photius enim in Bibliotheca cod. 176 ex Theopompi libro, qui inscribitur *ἱστορικοὶ λόγοι* compendium faciens breviter bellum contra Cyprios describens Teribazum quoque commemorat. Res autem, quae traduntur, sunt nimis exiles, quam e quibus certe de Plutarchi fonte iudicare possimus.

p. 413, 22. *προήκατο ἑαυτόν, ἔφυγε, διεκρούσατο.* Stegmann, Kritische Beiträge zu Plutarchs Moralia p. 9 *ἔφυγε* verbum his causis commotus omisit: '168 f ist das *ἔφυγε* vor *διεκρούσατο* schon wegen des Asyndetons auffallend, ausserdem stört es wieder die Koncinnität der drei Glieder, in denen sich je ein Verb (*ἔρριψε* ... *προήκατο* ... *διεκρούσατο*) mit seinem Objekt entspricht. Meiner Ansicht nach ist *ἔφυγε* nur eine störende Randbemerkung zu dem seltenen *διεκρούσατο*.' Quod probo.

p. 413, 24. Midam mortuum esse hausto sanguine tauri etiam aliis locis nobis traditur. Plut. Flam. c. 20 *ἔνιοι δὲ (λέγουσι), μιμησάμενον Θεμιστοκλέα καὶ Μίδαν αἷμα ταύριον πιεῖν* et Strab. I, C 61 *οἵ τε Κιμμέριοι .. ἐπὶ .. Φρύγας ἐμβαλόντες, ἡνίκα Μίδαν αἷμα ταύρου πιόντα φασὶν ἀπελθεῖν εἰς τὸ χρεών.* Idem Eustathius Strabonem secutus in commentariis in Odysseam *Λ* v. 14 (p. 1671) prodit. Temporibus igitur, quibus Cimmerii Phrygiam vastabant, Midam mortuum esse Strabo putat. Quod factum est anno fere 670 a. Chr. n., vide A. Witschel, Pauly Realencycl. s. v. 'Midas.' Plutarchus autem Midae dat cognomen *παλαιός*, ut opinetur quis hunc esse Midam illum antiquum, quem fama secuta est a Sileno eum inaurandi omnia facultatem oravisse, vide E. Kuhnert apud Roscherum, Myth. Lex. s. v. 'Midas'. Sed ut diiudicemus, utrum hoc Plutarchus voluerit necne, spectemus, quomodo *παλαιός* vocabulum a Plutarcho adhibeatur; in scriptis Moralibus legimus 1125 d *Ἴων ὁ παλαιός*, 947 f *Ἀναξιμένης ὁ παλαιός*, 935 a *Σωκράτης ὁ παλαιός*. Videmus igitur *παλαιός* esse cognomen, quod Plutarchus honoris causa usurpat, ut fere idem ac 'venerabilis' significet. Minime solis antiquissimis hominibus est datum, sed etiam viris ex historia optime notis. Neque illud a Plutarcho, ut significaret Midam maiorem, de quo fama commemorata narratur, quod opinatur Wyttenbach VI, 1021, adhibitum esse videtur mihi.

Causam, cur Midas se ipse necaverit, Strabo nobis non perspicue prodidit; quo ex fonte Plutarchus illud hauserit, est incertum.

Taurinum sanguinem esse venenum homines cito necans illis temporibus opinati sunt. Quod docet Plin. nat. hist. XXVIII, 147 'taurinus (sanguis) quidem recens inter venena est,' vide Th. Kock ad Arist.

Equ. 83; W. Roscher, Die Hundekrankheit der Pandareostöchter und andere mythische Krankheiten, Rhein. Mus. 53 (1898) p. 201 annot. 4.

p. 413, 27. De Aristodemo Messeniorum duce refert Paus. IV 13, 1 *τὰ δ' ἐντεῦθεν . . προεσήμαινεν αὐτοῖς τὰ μέλλοντα ὁ θεός . . οἱ κύνες συνιόντες ἐς τὸ αὐτὸ ἀνὰ πᾶσαν νύκτα ὠρύοντο, τέλος δὲ καὶ ἀπεχώρησαν ἀθρόοι πρὸς τὸ τῶν Λακεδαιμονίων στρατόπεδον. ταῦτά τε δὴ τὸν Ἀριστόδημον ἐτάρασσε* et IV 13, 4 *ἐνταῦθα Ἀριστόδημος τῇ πατρίδι οὐχ ὁρῶν ἔτι ὑποῦσαν σωτηρίας ἐλπίδα ἐπικατέσφαξεν ἑαυτόν.* Videmus igitur Plutarchum cum Pausania plane consentire. Ille quoque tradit canes ululasse; creditum autem est canes videre daemonas advenientes et timore perterritos ululare, Theocr. II 35 sq. *Θεστυλί, ταὶ κύνες ἄμμιν ἀνὰ πτόλιν ὠρύονται· ἁ θεὸς ἐν τριόδοισι· τὸ χαλκέον ὡς τάχος ἄχει.* Pausanias vero adicit canes e castris egressas ad hostes transisse; quae sic interpreter: canes animadvertunt daemonas mortis et, ne cum exercitu intereant, ad hostes profugiunt. Simillima est nostris temporibus sententia in adagium conversa mures naves interituras antea relinquere.

Alterum illud prodigium horribile a Plutarcho commemoratum Pausanias non affert. Circa focum paternum Aristodemi gramen ortum erat. Gramen eis locis oritur, in quibus homines non habitant. Illud igitur erat vaticinium Aristodemi domum brevi tempore fore hominibus vacuam, cum gramen oreretur illic, quo familia conveniebat.

p. 414, 6. Nicias dux ille expeditionis in Siciliam ab Atheniensibus factae erat homo superstitioni maxime deditus, Thuc. VII 50, 4 *ὁ Νικίας (ἦν γάρ τι καὶ ἄγαν θειασμῷ τε καὶ τῷ τοιούτῳ προςκείμενος) οὐδ' ἂν διαβουλεύσασθαι ἔτι ἔφη, πρίν, ὡς οἱ μάντεις*

ἐξηγοῦντο, τρὶς ἐννέα[1]) *ἡμέρας μεῖναι, ὅπως ἂν πρότερον κινηθείη.* Quod autem erat tam superstitiosus, etiam sacerdotibus piacularibus familiarissime usus est. Scholia in Arist. Equ. 1085 *τὴν Διοπείθους· ἦν δὲ καὶ Νικίου ἑταῖρος.* Diopeithes autem erat ob superstitionem notissimus, vide Th. Kock ad Arist. Equ. 1085. Quin etiam in Siciliam haruspices et vates sequebantur Niciam. Schol. in Arist. Pac. 103 *ὁ Στιλβίδης εὐδόκιμος καὶ περιβόητος μάντις, τῶν τοὺς παλαιοὺς χρησμοὺς ἐξηγουμένων . . ὅν φησι Φιλόχορος ἀκολουθῆναι ἐν Σικελίᾳ, ἡνίκα ἐπολέμουν Ἀθηναῖοι καὶ εἰς Σικελίαν ἐστράτευον.*

p. 414, 11. *φονευθέντων ἢ ζώντων ἁλόντων* editiones vetustiores; *φονευθέντων τε καὶ ζώντων ἁλόντων* Hercherus et illum secutus Bernardakis. Locus est ex iis, quibus utrum Hercher nimia sagacitate an novis codicibus permotus mutaverit, parum constat. Quare nihil certi dicere possumus, priusquam, quae praebeant codices, satis comperimus.

Quadraginta milia militum in Sicilia fuisse et Thucydides VII 75, 5 et Diodorus XIII 21 rettulerunt. Cum autem apud Plutarchum legamus omnes aut necatos aut captos esse, Thucydides prodit multos effugisse, VII 85, 4 *πολλοὶ δὲ ὅμως καὶ διέφευγον, οἱ μὲν καὶ παραυτίκα, οἱ δὲ καὶ δουλεύσαντες καὶ διαδιδράσκοντες ὕστερον.*[2]) Plutarchus igitur rem in maius extollit, ut eo magis Niciae superstitionem castiget.

Antiquis temporibus homines et solis et lunae

---

1) de vi huius numeri mystici W. H. Roscher, Enneadische Studien, No. I des XXVI Bandes der Abhandl. der Philol.-Hist. Kl. der Königl. Sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften, Leipzig 1907.

2) vide G. Grote, Geschichte Griechenlands, Berlin 1882 IV, 267.

defectionibus valde terrebantur. Plin. nat. hist. II, 54: 'misera hominum mente iam soluta in defectionibus scelera aut mortem aliquam siderum pavente — quo in metu fuisse Stesichori et Pindari vatum sublimia ora palam est deliquio solis — aut in luna veneficia arguente mortalitate et ob id crepitu dissono auxiliante — quo pavore ignarus causae Nicias Atheniensium imperator veritus classem portu educere eorum adflixit'. Et similia narrat nat. hist. XXV 10, vide E. Riess, Pauly-Wissowa, Real-Encycl. s. v. 'Aberglaube'; Kroll, Antiker Aberglaube p. 15 sqq.; Schoemann-Lipius l. c. II, 292 et 299 sqq.; Rich. Lasch, Die Finsternisse in der Mythologie und im religiösen Brauch der Völker, Arch. f. Religionsw. III (1900) p. 97 sqq.

In sequentibus Plutarchus ostendit superstitiosum, quod deos daemonasque timet, esse otiosum et perire; pium autem deis confidentem suas res optime agere et servari.

p. 414, 15. Contra codices et editiones reliquas Bernardakis scripsit *ἐκπεσόντος* pro *ἐμπεσόντος*, quam lectionem iam Kurtz, Berl. philol. Wochenschrift 1890, 1119 recte refutavit.

p. 415, 2. *Διὶ χθονίῳ* solus D cum Hesiodo, cuius verba Plutarchus adhibet, *Διί τε χθονίῳ* codd. rell. Plutarchus non erat coactus Hesiodi dictum ad verbum transferre; nam iam dixerat antea se Hesiodum esse secuturum: *Ἡσίοδος κελεύει κτλ.* vide p. 415, 3 *Ὅμηρος δὲ τὸν Αἴαντα φησι κτλ.* Cum autem Plutarchus copula *τε* vocabula complura inter se coniungere adamaverit (Weissenberger l. c. p. 30), hoc loco *Διί τε χθονίῳ* scribendum esse opinor.

p. 415, 10. *δός με κατὰ πρηνὲς βαλέειν Πριάμοιο μέλαθρον* versus est imitatio Homerica deflexa ex Il. II 414 *πρίν με κατὰ πρηνὲς βαλέειν Πριάμοιο μέλαθρον.* Talia maxime in deliciis habebant, qui scripserunt diatribas, vide Seidel l. c. p. 14 sq. Similia scripta videmus p. 417, 21. Hic enim Homeri versus (Il. XXIV, 604) *ἓξ μὲν θυγατέρες, ἓξ δ' υἱέες ἡβώοντες* est apud nostrum *ἓξ μὲν θυγατέρας, ἓξ δ' υἱέας ἡβώοντας.*

p. 415, 13 *ἀλλ' Ἰουδαῖοι.* Quibus temporibus illa, quae a Plutarcho narrantur, sint facta, iam diu quaesitum est. Wyttenbach Plutarchum illud, quod narratur in libro Maccabaeorum I 2, 37 et in Iosephi libro, qui inscribitur *Ἰουδαϊκὴ ἀρχαιολογία*, XII 6, 2 in animo habuisse putat. Ibi enim legimus sub Antiocho Epiphane Iudaeos in loca deserta fugientes in speluncis se abdidisse. Cum autem peterentur, quod erat sabbatum, a persequentibus se non defenderunt, neque quicquam fecerunt, ut speluncarum aditum praecluderent. Quod nostrum locum scribens Plutarchus minime recordatus esse potest; nam moenia commemorat atque scalas, quibus moenia sunt conscensa. Qua re fit luce clarius Plutarchum loqui de urbe ab hostibus capta. Quod intellegens R. Volkmann, Leben und Schriften Plutarchs von Chaeronea, Berlin 1869 I 78 Plutarchum dicere de Hierosolymarum expugnatione anno 70 per Titum facta opinatur. Quin etiam ex illa opinione, quibus temporibus de superstitione libellus sit scriptus, statuere vult. Sed maxime erravit. Nam nullus scriptor, qui prodidit, quomodo illo anno Hierosolyma essent capta, rettulit nostro loco similia. Omnes loquuntur de vehementissima pugna summaque caede; vide Iosephi *τοῦ Ἰουδαϊκοῦ πολέμου λόγ.* VI c. 9 sqq.; Dionis Cassii LXVI 4 sqq.; Taciti historiarum V 9—13. Quod autem Plutarchus habuerit in animo, nos docet Iosephi contra Apionem I 205 (ed. S. A. Naber): *οὐκ ὀκνήσω δὲ καὶ τὸν ἐπ' εὐηθείαις διασυρμῷ, καθάπερ αὐτὸς οἴε-*

ται, μνήμην πεποιημένον ἡμῶν Ἀγαθαρχίδην ὀνομάσαι. ⟨206⟩ διηγούμενος γὰρ τὰ περὶ Στρατονίκην ὃν τρόπον ἦλθε μὲν εἰς Συρίαν ἐκ Μακεδονίας, καταλιποῦσα τὸν ἑαυτῆς ἄνδρα Δημήτριον, Σελεύκου δὲ γαμεῖν αὐτὴν οὐ θελήσαντος, ὅπερ ἐκείνη προσεδόκησε, ποιουμένου [δὲ] τὴν ἀπὸ Βαβυλῶνος στρατείαν αὐτοῦ, τὰ περὶ τὴν Ἀντιόχειαν ἐνεωτέρησεν, ⟨207⟩ εἶθ' ὡς ἀνέστρεψεν ὁ βασιλεὺς, ἁλισκομένης τῆς Ἀντιοχείας εἰς Σελεύκειαν φυγοῦσα, παρὸν αὐτῇ ταχέως ἀποπλεῖν, ἐνυπνίῳ κωλύοντι πεισθεῖσα ἐλήφθη καὶ ἀπέθανεν. ⟨208⟩ ταῦτα προειπὼν ὁ Ἀγαθαρχίδης, καὶ ἐπισκώπτων τῇ Στρατονίκῃ τὴν δεισιδαιμονίαν, παραδείγματι χρῆται τῷ περὶ ἡμῶν λόγων, καὶ γέγραφεν οὕτως· ⟨209⟩ οἱ καλούμενοι Ἰουδαῖοι πόλιν οἰκοῦντες ὀχυρωτάτην πασῶν, ἣν καλεῖν Ἱεροσόλυμα συμβαίνει τοὺς ἐγχωρίους, ἀργεῖν εἰθισμένοι δι' ἑβδόμης ἡμέρας, καὶ μήτε τὰ ὅπλα βαστάζειν ἐν τοῖς εἰρημένοις χρόνοις μήτε γεωργίας ἅπτεσθαι μήτε ἄλλης ἐπιμελεῖσθαι λειτουργίας μηδεμιᾶς, ἀλλ' ἐν τοῖς ἱεροῖς ἐκτετακότες τὰς χεῖρας εὔχεσθαι μέχρι τῆς ἑσπέρας, ⟨210⟩ εἰσιόντος εἰς τὴν πόλιν Πτολεμαίου τοῦ Λάγου μετὰ τῆς δυνάμεως, καὶ τῶν ἀνθρώπων ἀντὶ τοῦ φυλάττειν τὴν πόλιν διατηρούντων τὴν ἄνοιαν, ἡ μὲν πατρὶς εἰλήφει δεσπότην πικρόν, ὁ δὲ νόμος ἐξηλέγχθη φαῦλον ἔχων ἐθισμόν. Agatharchidis igitur scriptum quoddam Plutarchus in animo habuit; ergo cogitavit de Hierosolymorum anno 320 expugnatione a Ptolemaeo Lagi facta.[1])

Iam quaerendum, Plutarchus num ex Agatharchide ipso illud sumpserit. Agatharchides saeculo secundo a. Chr. n. librum scripsit *Ἀσιατικά*; quo ex opere Iosephum illum locum hausisse verisimillimum est, vide FHG III p. 196 sq. ed. Mueller. Tali autem

1) Idem Iosephus altero loco rursus Agatharchidem secutus narrat (*Ἰουδαϊκὴ ἀρχαιολογία* XII 1, 4).

scripto Plutarchum de superstitione scribentem usum esse non videtur mihi. Sed ut uterque et Agatharchides et Plutarchus ex eodem libro hauserit, fieri potest. Agatharchides enim, priusquam de Iudaeis loquitur, de superstitione disseruit, ut Iosephus nobis prodit; somnio enim Stratonicae illusit. Ut exemplum afferret, quantopere noceat ille somniorum timor, Iudaeos attulit. Illud sumptum esse ex libro quodam de superstitione atque ex illo, quo Plutarchus quoque usus est, opinor. Quis autem fuerit ille fons, hoc nondum certe dicere audeo.[1])

σαββάτων. Iudaeis erat nefas sabbato in labore esse, vide veteris Testam. Exod. 26, 8—11; ut exemplum afferam, traditur virum sabbato ligna colligentem ob illam rem lapidibus coopertum esse, Mos. IV 15, 32—36. Iudaeos autem ab hostibus aggredientibus se defendere vetitos esse Iosephus negat, qui *Ἰουδαϊκὴ ἀρχαιολογία* XIV 4, 2 de Hierosolymorum a. 63 a. Chr. n. expugnatione facta loquitur, *εἰ δὲ μὴ πάτριον ἦν ἡμῖν ἀργεῖν τὰς ἑβδομάδας ἡμέρας, οὐκ ἂν ἠνύσθη τὸ χῶμα κωλυόντων ἐκείνων· ἄρχοντας μὲν γὰρ μάχης καὶ τύπτοντας ἀμύνασθαι δίδωσιν ὁ νόμος, ἄλλο δέ τι δρῶντας τοὺς πολεμίους οὐκ ἐᾷ.* Simili modo Iosephus populares ab illo superstitionis opprobrio, quod Agatharchides fecerat, defendit (*Ἰουδαϊκὴ ἀρχ.* XII 1, 4) contendens Hierosolyma non esse capta, quod Iudaei propter sabbatum urbem non defenderent, sed Ptolemaeum pacis temporibus specie, ut sacrificaret, in urbem cum comitibus venisse et ita dolo potitum esse imperio. Videtur autem in omnibus Iudaeorum pugnis seditionibusque sabbatum multum valuisse;

1) De Agatharchide vide E. Schwartz, Pauly-Wissowa, Realencycl. s. v. Agatharchides 3; H. J. Frieten, de Agatharchide Cnidio, Bonn 1848, de nostro Agatharchidis loco disseruit p. 17 sqq.

nam Maccab. II 5, 26 quoque Antiochum Hierosolymis sabbato multos trucidavisse legimus.

ἐν ἀγνάπτοις. Wyttenbach VI 1023 ceterique editores *ἐν ἀγνάπτοις* vocabula significare 'in sordidis vestibus' opinantur. Ne quis Iudaeos sabbato in templo sedisse in sordidis vestibus putet! Pura vestimenta habebant Iudaei, qui accedebant ad deum, vide E. C. A. Riehm, Handwörterbuch des Biblischen Altertums, s. v. 'Sabbat'. Sed ut statuamus, quid significet hoc loco *ἄγναπτος*, spectemus vocabulum *ἄγναφος*, quod idem esse atque *ἄγναπτος* Stephanus in thesauro linguae Graecae testatur s. v. *ἄγναφος*. *ἄγναφος* est, 'nondum curatus politusque a fullone'; quod dici potest et de veteribus vestimentis, quae nondum sunt a sordibus repurgata et de novis. De novis est adhibitum Ev. Matth. 9, 16[1]) *οὐδεὶς δὲ ἐπιβάλλει ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ* et Marc. 2, 21 *οὐδεὶς ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπιρράπτει ἐπὶ ἱμάτιον παλαιόν.* Nostro igitur loco *ἐν ἀγνάπτοις* 'in novis vestibus' significat. Iudaei igitur vestimenta festiva sibi induerant, cum hostes urbis moenia ascenderent, ut ritui satisfacerent, non sordidas, ut dei auxilium implorarent, id quod putavit Wyttenbach.

p. 415, 14 *καθεζόμενοι*. Iudaeos sedisse Plutarchus propterea dicit, quod otiosi ab hostibus se non defenderunt; vide Hom. Od. 6, 295 *ἔνθα καθεζόμενος μεῖναι χρόνον*. Praeterea est annotandum Iudaeis non licuisse, ut sabbato magnum iter facerent. Sabbato amplius mille passus facere eis non licuit, quo fit, ut voce 'iter sabbati' exiguum spatium significaverint. v. acta apost. I 12 *τότε ὑπέστρεψαν εἰς Ἱερουσαλὴμ ἀπὸ ὄρους τοῦ καλουμένου ἐλαιῶνος, ὅ ἐστιν ἐγγὺς Ἱερουσαλήμ, σαββάτου ἔχον ὁδόν.*

1) vide Bern. Weiss, das Matthäusevangelium und seine Lucasparallelen, Halle 1876 p. 248; Joh. Weiss, die Schriften des Neuen Testaments I, Göttingen 1906, p. 85.

p. 415, 16 *ἐν σαγήνῃ*. de metaphoris ab arte piscatoria sumptis apud Plutarchum vide J. Dronkers, de comparationibus et metaphoris apud Plutarchum, Traiecti ad Rhenum 1892, p. 38.

p. 415, 22 *εἰλαπίναι πρὸς ἱεροῖς*. In sacrificiis publicis magnus numerus hostiarum mactatus est, quarum caro a civibus comedebatur, vide Schoemann-Lipsius II p. 248 et 478; M. P. Nilsson, Griechische Feste von religiöser Bedeutung, Leipz. 1906, p. 160 sqq.; Mommsen, Feste der Stadt Athen, p. 217.

μυήσεις. *μύησις* erat mysteriorum initiatio, quam in summis deliciis Graecis fuisse Plutarchus dicit. Similia verba prodit in libro, qui inscribitur 'quomodo quis suos in virtute sentiat profectus' p. 81 e *ὥσπερ γὰρ οἱ τελούμενοι κατ' ἀρχὰς μὲν ἐν θορύβῳ καὶ βοῇ συνίασι πρὸς ἀλλήλους ὠθούμενοι, δρωμένων δὲ καὶ δεικνυμένων τῶν ἱερῶν προσέχουσιν ἤδη μετὰ φόβου καὶ σιωπῆς, οὕτω καὶ φιλοσοφίας ἐν ἀρχῇ καὶ περὶ θύρας πολὺν θόρυβον ὄψει καὶ λαλιὰν καὶ θρασύτητα, ὠθουμένων πρὸς τὴν δόξαν ἐνίων ἀγροικῶς τε καὶ βιαίως· ὁ δ' ἐντὸς γενόμενος καὶ μέγα φῶς ἰδών, οἷον ἀνακτόρων ἀνοιγομένων, ἕτερον λαβὼν σχῆμα καὶ σιωπὴν καὶ θάμβος ὥσπερ θεῷ τῷ λόγῳ 'ταπεινὸς ξυνέπεται καὶ κεκοσμημένος'*, vide Schoemann-Lipsius II 403 annot. 3; Anrich, Antikes Mysterienwesen, p. 25, 29 sq., 33; Mommsen, Feste der Stadt Athen, p. 218 sqq.

ὀργιασμοί a Plutarcho etiam in libro, qui fertur de defectu oraculorum una cum mysteriis commemorantur, 417 a *ἡμεῖς δὲ μήτε μαντείας τινὰς ἀθειάστους εἶναι λέγοντας ἢ τελετὰς καὶ ὀργιασμοὺς ἀμελουμένους ὑπὸ θεῶν ἀκούομεν.* Orgia erant sacra Dionyso, vide Schoemann-Lipsius II 524, 526. Celebrantur in non-

nullis urbibus Graeciae, Chii in insula, Magnesiae, Mileti, in Parnaso, vide Nilsson l. c. p. 283 et 309 sq.

p. 415, 25 *μανικὸν· καὶ Σαρδόνιον γέλωτα.* De hoc loco O. Apelt, Bemerkungen zu Plutarchs Moralia, Philologus 62, p. 277 scripsit haec: Hier entspricht *μανικόν* der Situation gar nicht. Sehe ich recht, so ist es verschrieben für *νεανικόν*, das in durchaus passender Zusammenstellung mit *Σαρδόνιον* zum Ausdruck des Überlegenen und Übermütigen dient. Sed cum *μανικόν* illud a Plutarcho saepe cum affectibus coniungatur, cur mutemus non est. v. Mor. 417 d *μανικοὺς καὶ τυραννικοὺς ἔρωτας.* Mor. 609 e *ἄγρια ποιεῖ καὶ μανικὰ καὶ δυσεξίλαστα τὰ πένθη.*

p. 415, 26 *τετύφωνται.* Cynici omnia, quae homines secundum speciem aut expetunt aut fugiunt, *τῦφος* nominabant, vide Zeller II 1 p. 303 annot. 2 et 306. *τῦφος* igitur est nomen praecipue a cynicis adhibitum; v. Diog. Laert. VI 26 '*ὅσον, ὦ Διόγενες, τοῦ τύφου διαφαίνεις, δοκῶν μήτε τυφῶσθαι*' *οἱ δέ φασι τὸν Διογένην εἰπεῖν*, '*πατῶ τὸν Πλάτωνος τῦφον*', *τὸν δὲ φάναι* '*ἑτέρῳ γε τύφῳ Διόγενες.*' Plutarchus igitur hoc loco improbum eodem modo dicentem facit atque cynicum.

p. 416, 6 *ἐστεφανωμένος.* In caeremoniis solemnibus Graeci coronabantur, et in supplicationibus coronis floribusque redimiti erant et in sacris, vide Schoemann-Lipsius II 243 sqq., 264 sqq.; G. Appel, de Romanorum precationibus, RGVV VII 2, Giessen 1909, p. 191. In mysteriis quoque coronam mystae sibi imponebant, vide Mommsen, Feste der Stadt Athen, p. 256 annot. 4; Foucart l. c. p. 71; de Jong, de Apuleio Isiacorum mysteriorum teste, p. 60 et 63. Coronis usi sperabant superstitiosi se daemonas malos arcere posse, nam corona prohibebat daemonas a coronato, vide Wilamowitz-Moellendorff, Euripides Herakles [2] p. 156; P. Stengel, Opferblut und Opfergerste, Herm. 1906 p. 231.

p. 416, 9 *βέλτιστοι γιγνόμεθα.* Idem Pythagorae[1]) dictum Plutarchus in libello, qui fertur de defectu oraculorum, affert, et eodem modo ac nostro loco illud dictum non convenire ad homines omnes ibi docet. Sed interest locum illum exscribere; nam demonstrat nobis, quo ex fonte haec Plutarchi sententia sit sumpta. 413 a Didymus cynicus[2]) de Apollinis tripode quaerit, *πῶς οὐχὶ . . Ἡρακλῆς αὖθις ἤ τις ἄλλος θεῶν ὑπέσπακε τὸν τρίποδα καταπιμπλάμενον αἰσχρῶν καὶ ἀθέων ἐρωτημάτων, ἃ τῷ θεῷ προβάλλουσιν οἱ μὲν ὡς σοφιστοῦ διάπειραν λαμβάνοντες οἱ δὲ περὶ θησαυρῶν ἢ κληρονομιῶν ἢ γάμων παρανόμων διερωτῶντες· ὥστε κατὰ κράτος ἐξελέγχεσθαι τὸν Πυθαγόραν εἰπόντα βελτίστους ἑαυτῶν γίγνεσθαι τοὺς ἀνθρώπους, ὅταν πρὸς τοὺς θεοὺς βαδίζωσιν.* Cynicum igitur Plutarchus illa verba dicentem facit et totius illius loci color est cynicus. Itaque sequitur, ut Plutarchus etiam hunc locum ex fonte quodam cynico sumpserit.

p. 416, 13 *μεγάροις ἢ ἀνακτόροις. μέγαρον* et *ἀνάκτορον* significant species templorum, v. Herod. II 169 *αἱ (ταφαί) εἰσιν ἐν τῷ ἱρῷ τῆς Ἀθηναίης, ἀγχοτάτω τοῦ μεγάρου, ἐσιόντι ἀριστερῆς χειρός*, et Herod. IX 65 *δοκέω δὲ, εἴ τι περὶ τῶν θείων πραγμάτων δοκέων δεῖ, ἡ θεὸς αὐτὴ σφεας οὐκ ἐδέκετο ἐμπρήσαντας τὸ ἱρὸν τὸ ἐν Ἐλευσῖνι ἀνάκτορον.*

p. 416, 21 *ὁ μὴ νομίζων θεοὺς ἀνόσιός ἐστιν.* Cum omnes codices post *θεοὺς* vocabulum *εἶναι* verbum

1) De Pythagora v. Zeller I 1, p. 270 sqq. Eadem Pythagorae dicta a Cicerone in libro, qui fertur de legibus, II 11 et a Seneca in libro XV ad Lucilium, Ep. II (94) par. 42 tradita sunt.

2) De Didymo v. Zeller III 1 p. 768 annot. 6.

tradiderint, Schellens l. c. p. 22 omittit *εἶναι*, quod hiatus *εἶναι ἀνόσιος* illum offendit. Cui B. Müller, Plutarch über die Seelenschöpfung p. 16, annot. 2 recte contradixit, qui docet illum hiatum elisione tolli.[1])

p. 417, 2 *διέδεται σοῦ τὸ σῶμα προςφύς* verba scribens Plutarchus Homeri recordatus esse videtur, cuius Hecuba de filii interfectore dicit, Il. 24, 212 sq. *τοῦ δ' ἐγὼ μέσον ἧπαρ ἔχοιμι ἐσθέμεναι προςφῦσα.* Plutarchum illos versus in animo habuisse etiam p. 418, 2 nos docet, ubi illa Homeri dicta ad verbum refert.

p. 417, 4 *θηρίον ἐφήσει.* Antiquissimis temporibus noxa a feris effecta tanta erat, ut Graeci crederent deum aliquem mittere feras, ut homines ulcisceretur. Illa sententia iam apud Homerum invenitur Il. IX 538

ἡ δὲ χολωσαμένη δῖον γένος ἰοχέαιρα
ὦρσεν ἔπι χλούνην σῦν ἄγριον ἀργιόδοντα,
ὃς κακὰ πολλ' ἔρδεσκεν ἔθων Οἰνῆος ἀλωήν.

Paus. I 27, 9 *πάλαι δὲ ἄρα τὰ θηρία φοβερώτερα ἦν τοῖς ἀνθρώποις, ὡς ὅ τ' ἐν Νεμέᾳ λέων καὶ ὁ Παρνάσιος, καὶ δράκοντες τῆς Ἑλλάδος πολλαχοῦ, καὶ ὗς περί τε Καλυδῶνα . . ὥστε καὶ ἐλέγετο τὰ μὲν ἀνεῖναι τὴν γῆν, τὰ δὲ ὡς ἱερὰ εἴη θεῶν, τὰ δὲ καὶ ἐς τιμωρίαν ἀνθρώπων ἀφεῖσθαι· καὶ τοῦτον οἱ Κρῆτες τὸν ταῦρον ἐς τὴν γῆν πέμψαι σφίσι Ποσειδῶνά φασιν,* vide Paus. III 18, 9; VIII 44, 4; VIII 45, 1; Ovid. Met. VIII 270 sqq.

p. 417, 5 *τοῦ Τιμοθέου.* Eandem rem Plutarchus in libro, qui inscribitur 'quomodo adulescens poetas audire debeat', refert; p. 21 f. legimus haec, postquam Sophoclem, qui mystas solos beatos dixit, a Diogene bene refutatum esse commemoravit, *Τιμοθέῳ μὲν γὰρ*

1) De elisione vocalis *αι* vide Kühner-Blass I 237 sq.

ᾄδοντι τὴν Ἄρτεμιν ἐν τῷ θεάτρῳ 'μαινάδα, θυιάδα, φοιβάδα, λυσσάδα' Κινησίας εὐθὺς ἀντεφώνησε 'τοιαύτη σοι θυγάτηρ γένοιτο'. χάριεν δὲ καὶ τὸ τοῦ Βίωνος πρὸς τὸν Θέογνιν λέγοντα κτλ. Hic dictum, quod est ante Cinesiae facetias positum, Diogenis est, quod sequitur, Bionis. Uterque est cynicae scholae. Qua de causa utriusque dicta sumpta esse ex libro quodam cynico videtur mihi. Quae cum ita sint, est verisimillimum locum quoque, qui est inter illorum dicta, ex eodem fonte haustum esse.

Thimotheus tibicen ille clarus et poeta Milesius carmen *Ἄρτεμις* scripserat. v. Suidam s. v. *Τιμόθεος· ἦν δὲ ἐπὶ τῶν Εὐριπίδου χρόνων τοῦ τραγικοῦ, καθ' οὓς καὶ Φίλιππος ὁ Μακεδὼν ἐβασίλευεν· καὶ ἐτελεύτησεν ἐτῶν ἐννενήκοντα ἑπτά, γράψας δι' ἐπῶν Νόμους μουσικοὺς δέκαεννέα, Προοίμια λς, Ἄρτεμιν, Διασκευὰς ή, κτλ.* Verisimile est nostrum fragmentum esse petitum ex illo carmine.[1])

Artemis, quam celebraverat Timotheus, erat Artemis Ephesia. Caeremonia illi sacra erant sumpta ex barbaris et simillima orgiis, vide Th. Schreiber, Roscher Myth. Lex. s. v. Artemis. Quod Plutarchus vel illius auctor ignoravisse videtur, et propterea illum poetam ita vituperat.

p. 417, 10—14. Codices haec tradiderunt *αἴτε κἂν ἀπ' ἀγχόνας ἀΐξασα αἴτε καλεχόνα* (*καλεφῶνα* cod. Harl.) *κναίσατε, αἴτε κἂν ἐκκεκρος μαίουσα* (Harl. *ἐκεκρος μ' οὖσα*) *ἀνπεφυρμένα ἐσῆλθες* (*εἰσῆλθες* cod. Harl.) *αἵ* (om. C.) *τε καὶ* (om. Ven. 511) *ἐκ τριπόδων*

1) Timothei operum fragm. coll. Th. Bergk, Poetae Lyrici Graeci[4] vol. III p. 620 sqq. Illius dictum in libro, qui fertur de superst., traditum est fragm. I. De Timotheo v. Bergk ibid.; Wyttenbach VI 222; U. v. Wilamowitz-Moellendorff, Timotheos, Die Perser, Leipz. 1903; Tambornino, de antiquorum daemonismo p. 69.

καθ' ἑρμάτεσσι (C. E. Harl. *καθερμάττεσσιν*, cod. coll. Nov. *καθ' ἑρμάτεσιν*) *ἐπισπωμένα* (Mosqu. 1 *ἐπιπτωμένα*) *τῷ παλαμναίῳ συμπλεχθεῖσα* (D. om. totum locum). V. Bergk, Poetae Lyr. Graeci[4] III p. 680, Wyttenbach VI 1029 sqq.; I 2 p. 173; Chr. Aug. Lobeck, Aglaophamus, Regimontii Prussorum 1829, p. 633 sqq.; Wilamowitz, Griech. Leseb. II 2 p. 210 sq. Iam vero quam maxime sequens illa, quae tradita sunt, restituam verba ipse. Statim cognoscimus verba tradita non esse dialecti Atticae. Sententia incipit a voce *αἴτε*, quae est forma dialecti doricae, attice *εἴτε*. V. Epigr. Phaniae (Anth. Pal. VI 304 vers. 3) *αἴτε συ γ' ἐν κύρτῳ μελανούριδας, αἴτε τιν ἀγρεῖς μορμύρον*. Particulam *αἴτε* quater invenimus. Quattuor igitur partes eodem modo incipientes sunt illius sententiae. Quarum prima est *αἴτε κἂν ἀπ' ἀγχόνας ἀΐξασα*. Wilamowitz recte docuit *κἂν* in codicibus manuscriptis ortum esse ex *κα*, quae est particula dorica, attice *ἄν*. *ἀπ' ἀγχόνας ἀΐσσω*. Verbum, coniunctum cum praepositione *ἀπό*, qua ex regione aliquis celeriter adveniat, significat. v. Hom. Il. XI 522 *θαμέες γὰρ ἄκοντες | ἀντίον ἀΐσσουσι θρασειάων ἀπὸ χειρῶν*. — *κα* ad participium *ἀΐξασα* pertinet, v. Kühner-Gerth I 240. Minime opus est particulam et participium se excipere, v. Xen. Comm. 4, 2, 6 *ὡς οὐκ ἂν ἄλλως ἀξιόλογοι γενόμενοι*. Verba supra scripta agunt de Diana (v. p. 417, 11), Diana autem hoc loco est eadem dea, quae Hecate, v. Th. Schreiber, Roscher Myth. Lex. s. v. 'Artemis'. Ut explicemus, quid Hecata a strangulatione veniens sibi velit, exscribo locum, quem legimus in Hippocratis libello, qui inscribitur *περὶ παρθενίων* (Med. Gr. opera quae exstant ed. G. Kühn XXII p. 526 sq.), ubi medicus loquitur: *περὶ τῶν δειμάτων, ὁκόσα φοβεῦνται οἱ ἄνθρωποι ἰσχυρῶς, ὥστε παραφρονέειν καὶ ὁρῆν δοκέειν δαίμονάς τινας ἐφ'*

ἑωυτῶν δυσμενέας, ὁκότε μὲν νυκτός, ὁκότε δὲ ἡμέρας, ὁκότε δὲ ἀμφοτέρῃσι τῇσι ὥρῃσιν. ἔπειτα ἀπὸ τῆς τοιαύτης ὄψιος πολλοὶ ἤδη ἀπηγχονίσθησαν, πλέονες δὲ γυναῖκες ἢ ἄνδρες· . . αἱ δὲ παρθένοι, ὁκόσῃσιν ὥρη γάμου παρανδρούμεναι τοῦτο μᾶλλον πάσχουσιν ἅμα τῇ καθόδῳ τῶν ἐπιμηνίων. Nam tum aucto sanguine cor comprimi. *ὑπὸ δὲ τῆς περὶ τὴν καρδίην πιέξιος ἀγχόνας κραίνουσιν, . . καὶ κελεύουσιν ἅλλεσθαι καὶ καταπίπτειν ἐς τὰ φρέατα καὶ ἄγχεσθαι, . . φρονησάσης δὲ τῆς ἀνθρώπου τῇ Ἀρτέμιδι αἱ γυναῖκες ἄλλα τε πολλά, ἀλλὰ δὴ καὶ τὰ πολυτελέστατα τῶν ἱματίων καθιεροῦσι τῶν γυναικείων κελευόντων τῶν μάντεων ἐξαπατεώμεναι.* Ultima verba Hippocratis eo explicantur, quod persaepe Diana cum Luna eodem loco habetur; Lunam autem in vita muliebri multum valere omnibus temporibus putatum est, v. W. H. Roscher, Selene und Verwandtes, Studien zur griechischen Mythologie 4, Leipz. 1890 p. 55. Praeterea fuit herbae cuidam menses optime adiuvanti cognomen 'Artemisia' (Plin. nat. hist. 26, 1 sq.), cui herbae certe non fuisset nomen 'Artemisia', nisi Artemis fuisset dea, quae adiuvabat mulieres in mensibus. Sin autem Artemis menses prohibebat, morbus factus est, quo mulieres commotas esse, ut sibi pararent *τὴν ἀγχόνην*, prodit Hippocrates.[1]) Diana igitur venit a muliere quadam, cui prohibuerat sanguinis effluvium, ut illa vexata morbo strangulationem sibi pararet. Diana vel Hecata illam feminam adierat, ut animam sibi sacram caperet. Nam Graeci sunt opinati illorum, qui sibi manus intulerant, animas esse in Hecatae turba, Rohde, Psyche[2] II p. 411 sqq. (v. supra p. 14 sq.). — *αἴτε*

1) Artemidi fuit cognomen *ἀπαγχομένη*. Pausan. VIII 23, 7 idem refert prodens causam non verisimilem. V. Callimach. *Αἴτια* frag. 3 ed. Schneider; P. Nilsson, Griechische Feste, p. 232 sq.; Otto Weinreich, Antike Heilungswunder p. 153 sq.

καλεχόνα κναίσατε. Eadem verba, quae in parte priore, *αἴτε κα.* Est vocabulum quoddam *λεχώ*, id est puerpera; illius casus accusativus *λεχών*, v. Kühner-Blass I 453 sqq. Scribere *λεχών* pro *λεχόνα* minime audax videtur mihi. Reliquum est vocabulum *κναίσατε*, certe corruptum. Quod singulae partes enuntiati fere eodem modo constructae sunt, exspectes hoc loco positum esse participium, quod respondeat primae partis *ἀΐξασα*; quod reponamus. *κναίσασα* est participium verbi *κναίω*, quod significat *λυπῶ*, *καταπονῶ*, *διαφθείρω*. v. Stephani Thes. s. v. *κναίω*; Hesych. s. v. *κνᾶσαι.*

Diana erat nascendi dea, v. Roscher, Selene und Verwandtes p. 60. Quod nos docent illius cognomina. In Orphico hymno II 9 et 12 appellatur *Εἰλείθυια.* Vexavit dea puerperam, v. Theocr. XXVII 29

ὠδίνειν τρομέω· χαλεπὸν βέλος Εἰληθυίης·
ἀλλὰ τεὴ βασίλεια μογοστόκος Ἄρτεμίς ἐστιν.

et Orph. hymn. II 11 *(Εἰλείθυια) ἐν γάρ σοι τοκετῶν λαθικηδέες εἰσὶν ἀνῖαι.* — *αἴτε κἂν ἔκκεκρος μαίουσα ἂν πεφυρμένα ἐσῆλθες.* Haec quoque pars eodem modo incipit ac prima et secunda *αἴτε κα*; sequitur forma quaedam, in qua *νεκρός* 'mortuus' inesse videtur. Iam Wilamowitz recte docuit hoc loco scribendum esse *αἴτε κἂν νεκρὸς μολῦσα* h. e. *αἴτε κα ἀνὰ νεκροὺς μολοῦσα.* Praepositionis *ἀνά* enim *α* etiam ante litteras consonas elidi potest, Kühner-Blass II 177; *νεκρός* est dialecti doricae accusativus pluralis, Kühner-Blass I 393. *ἀνά* pertinet ad *μολεῖν* tmesi facta, v. Eur. Hec. 928 *ἀνὰ δὲ κέλαδος ἔμολε πόλιν.* *ἀναφύρω* est inquino, foedo. Saepe perfectum generis passivi adhibetur, Herod. I 103 *πάντα ἦν ἀναπεφυρμένα.* *ἀνπεφυρμένα* h. e. *ἀναπεφυρμένα.* — 'Sive venisti inter mortuos foedata'. Hecatam comedisse mortuos opinabantur superstitiosi, v. Theocr. II 12 sq. *τᾶι χθονίαι*

θ' Ἑκάται, τὰν καὶ σκύλακες τρομέοντι ἐρχομέναν νεκύων ἀνά τ' ἠρία καὶ μέλαν αἷμα, v. Rohde, Psyche^2 II 81, 2; R. Wünsch, Defixionum Tabellae Atticae, IG III 3 p. XX; L. Fahz, de poetarum Romanorum doctrina magica, RGVV II 3 p. 53 sqq. 'Foedata' appellatur dea, quod erat inquinata sanguine ex mortuorum corporibus effuso, quem sanguinem deam etiam bibisse opinabantur, v. Pap. Paris. 2574 sqq., ubi legitur quaedam *διαβολὴ πρὸς σελήνην*, quem Wessely l. c. p. 31 edidit: *ἡ δεῖν' ἔλεξε τοῦτο σε δεδρακέναι τὸ πρᾶγμα·* | *κτανεῖν γὰρ ἄνθρωπόν σ' ἔφη, πιεῖν τὸ αἷμ' ἀνθρώπου,* | *σάρκας φαγεῖν μίτρην τε σὴν εἶναι τὰ ἔντερ' αὐτοῦ.* Nunc iam transeamus ad carminis ultimam partem; pro *αἴτε* me scribere *αἴτε* supra dixi. Cetera iam Wyttenbach pleraque recte scripsit *αἴτε καὶ ἐκ τριόδων καθαρμάτεσσιν ἐπισπωμένα τῷ παλαμναίῳ συμπλεχθεῖσα.* — *καθαρμάτεσσιν* est dativus Homericus, v. Kühner-Blass I 368 sq. — Dea venit ex triviis, quae Hecatae vel Dianae erant sacrae, v. Th. Schreiber, Rosch. Myth. Lex. s. v. 'Artemis'; Theocr. II 35 *ἁ θεὸς ἐν τριόδοισι.* Est attracta dea sacrificiis quibusdam. *καθάρματα* enim sunt sacrificia facta lustrandi causa, quae tum offeruntur dis inferis, v. Rohde, Psyche^2 II 78 sqq. Denique proditur deam esse *συμπλεχθεῖσαν τῷ παλαμναίῳ*; qui est daemon quidam res male factas ulciscens, v. Xen. Cyrop. 8, 7, 18 *τὰς δὲ τῶν ἄδικα παθόντων ψυχὰς οὔπω κατενοήσατε οἵους μὲν φόβους τοῖς μιαιφόνοις ἐμβάλλουσιν, οἵους δὲ παλαμναίους τοῖς ἀνοσίοις ἐπιπέμπουσι,* et Rohde, Psyche^2 I 277; cum illo daemone igitur dea concubuit, *συμπλέκομαι* est enim concumbere, v. Sophocl. fr. 561 (Nauck^2):

ἔγημεν ὡς ἔγημεν ἀφθόγγους γάμους
τῇ παντομόρφῳ Θέτιδι συμπλακείς ποτε.

vide Luc. Phars. VI 739 sqq. 'Eloquar, immenso ter-

rae sub pondere quae te | contineant, Hennaea, dapes, quo foedere maestum | regem noctis ames.' — Sed inspiciamus carmen totum: *αἴτε κα ἀπ' ἀγχόνας ἀΐξασα, αἴτε κα λεχὼν κναίσασα, αἴτε κὰν' νεκρὸς μολοῦσα ἀνπεφυρμένα ἐσῆλθες, αἴτε καὶ ἐκ τριόδων καθαρμάτεσσιν ἐπισπωμένα, τῷ παλαμναίῳ συμπλεχθεῖσα.* Apparet illud esse fragmentum carminis cuiusdam magici. Hecata, de qua foedissimas res comperimus, attrahitur sacrificiis quibusdam. Wilamowitzium, qui l. c. opinatur ex Sophronis quodam mimo esse illud fragmentum petitum plane sequor; nam ad eam opinionem optime quadrat, quod in nostro carmine Dorica dialecto confecto non certa metra invenimus, attamen rhythmum quendam certe cum voluntate effectum, quo modo Sophron mimos scripsit, v. E. Norden, Die antike Kunstprosa, Leipz. 1898 I 46 sqq. Et mihi quidem videtur illud carmen fuisse in Sophronis mimo *Ταὶ γυναῖκες αἳ τὰν θεὸν φάντι ἐξελᾶν*, cuius fragmenta legimus apud G. Kaibel, Comicorum Gr. Fr., Berol. 1899 I 1 p. 154 sq., et de quo egit Ric. Wuensch, Festschrift C. F. W. Müller, Leipz. 1900 p. 111 sqq. (Jb. class. Phil. Suppl. XXVII). In illo mimo Hecatae a mulieribus quibusdam canem sacrificatum esse docet R. Wuensch l. c. p. 118, et in sacrificando implorata est Hecata, sacrificio allecta (*καθαρμάτεσσιν ἐπισπωμένα*), ut parceret implorantibus. Ex illa precatione petitum est nostrum fragmentum.

p. 417, 15. Apollinem pestem mittere hominibus Graeci putabant, v. Hom. Il. I, Iunonem esse fraudulosam, Hom. Il. XIX 100 sqq., Venerem homines et delectare et vexare; vide Eur. Hippol. vers. 5 sqq., G. Welcker, Griech. Götterlehre, Elberfeld 1857—63, II 709. Itaque tales deos timuerunt superstitiosi, quod Plutarchus maxime vituperat.

p. 417, 18. *τοσοῦτον . . ὅσον* Hercher et Bernardakis, *τοσοῦτον . . οἷον* codd. Quamquam me neque apud Plutarchum usquam *τοσοῦτον . . οἷον*, neque apud ullum alium scriptorem legisse confiteor, tamen ne Hercheri coniecturam probem, prohibeor. Nam fortasse Plutarchus pro *ὅσον* sumpsit *οἷον*, quia verborum *ἐβλασφήμησεν ὅσον* sonus illum, qui elegantem sententiae sonitum efficere voluit, offendere oportuit. Praeterea *τοσοῦτον* — *ὅσον* et *τοιοῦτον* — *οἷον* non ita inter se differunt, ut contaminari non possint.

p. 418, 7. *τὴν δὲ Συρίαν θεὸν κτλ.* Wächter, Reinheitsvorschriften, p. 95 sq. et 97, annot. 2, copiose demonstravit in cultibus quibusdam antiquis Graecos vetitos esse pisces edere. Locos composuit, qui de singulis piscium vetitorum generibus feruntur l. c. p. 101; vide H. Hepding, Attis, seine Mythen und sein Kult, RGVV I, p. 189.

Dea Syria Hierapoli in urbe maxime culta est; quod Lucianus nobis tradidit, qui scripsit: *περὶ τῆς Συρίης θεοῦ.* Illi autem pisces sacros fuisse nusquam legimus; contra ex Athenaeo videmus deae Atargatidi pisces sacratos fuisse, VIII 346 c *Ἀντίπατρος ὁ Ταρσεύς, ὁ ἀπὸ τῆς Στοᾶς, ἐν τετάρτῳ περὶ Δεισιδαιμονίας· Λέγεσθαί, φησι, πρὸς τινῶν, ὅτι Γάτις ἡ τῶν Σύρων βασίλισσα οὕτως ἦν ὀψοφάγος, ὥστε κηρύξαι ‘ἄτερ Γάτιδος μηδένα ἰχθῦν ἐσθίειν’. ὑπ' ἀγνοίας δὲ τοὺς πολλοὺς αὐτὴν μὲν ‘Ἀτεργάτιν’ ὀνομάζειν, ἰχθύων δὲ ἀπέχεσθαι.* Itaque et Antipater et Plutarchus Syros non edisse pisces, quod pisces deae cuidam sacri erant, referunt. Cum autem non idem nomen deae illius tradiderint, difficile est dictu, uter verum nomen referat. Fieri potest, ut illa numina ab Antipatro et Plutarcho commemorata sint eadem. Apud Plinium Secundum enim scriptum est nat. hist. V 23 ‘Coele habet Apameam, Marsya amne divisam a Nazerinorum tetrarchia,

Bambycen, quae alio nomine Hierapolis vocatur, Syris vero Mabog — ibi prodigiosa Atergatis, Graecis autem Derceto dicta, colitur.' Sed verisimilius est Plutarchum illam deam Syriam, de qua Lucianus rettulit, non habuisse in animo. Videamus enim Menandri fragmentum quoddam, quod Wyttenbach VI 1033 iam commemorat: *Παράδειγμα τοὺς Σύρους λαβὲ κτλ.* (v. supra p. 33). Videtur Plutarchus illum locum in animo habuisse, vel ex scriptore hausisse, qui illum locum sumpserat ex Menandro. Illis autem in verbis dea a Syris implorata nomine non appellatur; nihil legimus nisi *τὴν θεὸν ἐξιλάσαντο.* Quae autem sit illa dea, ex verbis antecedentibus intellegi potuit, *παράδειγμα τοὺς Σύρους λαβέ,* unde Plutarchus vel auctor eius deae nomen Atergatin non dicit, sed ut, qua in gente dea colatur, indicet, addit adiectivum *Συρίαν.* Ita ortum est *τὴν Συρίαν θεόν.*

p. 418, 23 *καίτοι προςκυνεῖ γε καὶ θύει καὶ κάθηται πρὸς ἱεροῖς, καὶ οὐ θαυμαστόν ἐστι:* ita D, quem editiones pleraeque secutae sunt. Codices reliqui praebent, *κἂν δέδιε καὶ προςκυνῇ καὶ θύῃ καὶ κάθηται πρὸς ἱεροῖς οὐ θαυμαστός ἐστι. καὶ δέδιε* V², *καὶ προςκυνεῖ καὶ θύει* Ambr. (Bernardakis I p. XXI). De *δέδιε* verbo Reiskius in editione recte scripsit '*δέδιε* suspectum est, non solum modo, quia constructio coniunctivum postulat, sed etiam idque magis, quia sententia requirit *ἀσπάζηται* aut *προςίῃ.*' Sin autem Duebnerum secuti pro *δέδιε* scribamus *δεδιώς,* quae coniectura facillima est, loci sensus restituitur. 'Neque mirum est, quod eos, quamquam timet, adorat et sacris veneratur.' Vocabula *δέδιε* et *δεδιώς* litteris minusculis scripta sunt simillima. Lectionem a codice D praebitam non secutus sum, quod non intellegere, quomodo *δέδιε* verbum in reliquos codices omnes se insinuaverit, contra optime perspicere, cur in codice D verbum

δέδιε sit omissum, potui. Accedit, quod verbis a cod. D mutatis sententiae sequentes eodem modo incipiunt, 418, 24 *καὶ οὐ θαυμαστόν ἐστι· καὶ γάρ.* Putamusne Plutarchum, quem eleganter scripsisse supra vidimus, talia verba fecisse?

p. 418, 26 *κάρα σείοντες.* Verba ex Antigona Sophoclis fabula sumpta esse iam Bernardakis annotavit. Optime autem ad orationis contextum quadrant. Nam in utroque loco caput movent, palam tyrannis resistere non audent, sed clam faciunt coniurationes, vide 289 sqq.: *ἀλλὰ ταῦτα καὶ πάλαι πόλεως | ἄνδρες μόλις φέροντες ἐρρόθουν ἐμοί | κρυφῇ κάρα σείοντες, οὐδ' ὑπὸ ζυγῷ | λόφον δικαίως εἶχον, ὡς στέργειν ἐμέ.* |

p. 419, 1. *Χαιρέας* anno 41 p. Chr. n. interfecit imperatorem C. Caesarem Augustum. Hoc exemplum ex suis ipsius temporibus sumptum Plutarchus certe ipse addidit; contra fieri potest, ut exempla reliqua Alexandri et Philippi ex auctore quodam vetustiore hauserit.

p. 419, 6. *Τάνταλος,* quomodo vexatus sit, famae inter se differunt. Sunt — et Plutarchus in illis est —, qui narrent Iovem a monte Sipylo detrusisse Tantalum et tum suspendisse montem super illius caput, v. scholia in Olympionicarum carm. I 91 a (rec. A. B. Drachmann, Lips. 1903). O. Gruppe, Griechische Mythol. p. 1022.

p. 419, 11 *ὁ δὲ δεισιδαίμων τῇ προαιρέσει ἄθεος ὤν.* Hiatu in *προαιρέσει ἄθεος* vocabulis obvio offensus Benseler l. c. p. 436 hunc locum sic emendavit: *προαιρέσει γ' ἄθεος.* 'Qui animi quidem instituto sua voluntate impius est, id est, qui deos esse non vult, sed tamen credit.' Coniecturam hanc facillimam probo.

p. 419, 18 *οὐ γὰρ ἐν οὐρανῷ τι μεμπτόν.* Mundum esse perfectum Plato maxime docuit, a quo Tim. 92 c

appellatur *μέγιστος καὶ ἄριστος κάλλιστός τε καὶ τελεώτατος*, v. Zeller II 1 p. 816.

p. 419, 24 *κινήματα*. In arte magica superstitiosi putaverunt indecoris gestibus quibusdam usos homines a daemonibus se defendere posse, quin etiam homines plus valere quam illos, vide Sittl, Gebärden p. 121 sqq.

p. 419, 25. Cum *μάγοι* et *γόητες* iidem fere sint, nempe harioli, inter eorum artes discrimen aliquod statui vix potest. Itaque vanum est Suidae commentum, qui inter *μαγείαν* et *γοητείαν* ita discernit: *Μαγεία· ἐπίκλησίς ἐστι δαιμόνων ἀγαθοποιῶν πρὸς ἀγαθοῦ τινος σύστασιν . . Γοητεία δὲ ἐπίκλησίς ἐστι δαιμόνων κακοποιῶν περὶ τοὺς τάφους γενομένη·* — *περιδρομαί* Plutarchus cogitat de ritibus, qui lustrandi causa adhibebantur. Ut ex populo Romano sumam exemplum, commemorandi sunt Luperci, qui Romae circum urbem currebant, ut oppidum lustrarent, v. G. Wissowa, Religion und Kultus der Römer, München 1902, p. 172 sq.; L. Deubner, Lupercalia, Arch. f. Religionsw. XIII 481 sqq.

p. 419, 26 *τυμπανισμός* est tympani pulsatio. Plutarchus crepitum dissonum in animo habere videtur, quo homines superstitiosi in solis vel lunae defectionibus daemonas malos expellebant, v. Plin. nat. hist. II 54 (vide supra p. 43 sq.). *ἁγνεῖαι* sunt praecepta, quae docent, quibus a rebus illos, qui cultibus interesse volunt, se abstinere necesse sit; *καθαρμοί* sunt praecepta, quae docent, quomodo fieri possit, ut inquinatus lustretur, vide Wächter, Reinheitsvorschriften p. 1 sq. Plutarchus cogitat de lustrationibus iam p. 406, 16 commemoratis.

ἀκάθαρτοι μὲν καθαρμοί. Plutarchus illam sermonis figuram usurpat, quam nominamus ‘oxymoron’; vocabulo attributum quoddam additum est, quod negat

vocabuli summam. Illam figuram praecipue legimus apud poetas, raro apud oratores Atticos, v. Volkmann, Rhetorik[2] p. 435. Plutarchus igitur hoc loco scriptores Atticos sequi non videtur, sed ex diatribis eum illam figuram sumpsisse puto.

p. 419, 27 *βάρβαροι δὲ καὶ παράνομοι . . κολασμοί. κολασμός* est castigatio, Plut. Mor. 135 a *βέλτιον γὰρ ἐλευθέροις τοῖς τοιούτοις χρῆσθαι κολασμοῖς εἰς τὸ σῶμα*, vide quae Plutarchus supra p. 406, 14 rettulit.

παράνομος non est ‘contra leges’; nam illas res superstitiosas legibus vetitas esse verisimile non est, v. L. Georgii, Stellung des Staates gegen die Magie bei den Griechen in Pauly, Real-Encycl. s. v. ‘Magia’. *παράνομος* est ‘contra mores’. Ita enim in libello quoque qui inscribitur ‘adversus Coloten’ Plutarchus hoc vocabulo utitur; 1123 d *εἶτα πραττόμενα καὶ νομιζόμενα καὶ συνήθη καὶ ἀνὰ χεῖρας ἡμῖν ἐπὶ τῆς αὐτῆς φαντασίας καὶ πίστεως ὀχεῖται τοῖς μανικοῖς καὶ ἀτόποις καὶ παρανόμοις ἐκείνοις φάσμασιν.*

p. 420, 11 *μήτε τινά δαιμόνων μήτε θεῶν νομίζειν.* Editiones reliquae *μήτε τινὰ θεῶν μήτε δαιμόνων*; cum Bernardakis, cur verborum ordinem inverterit, non annotet, eum in scribendo erravisse verisimillimum est.

p. 420, 12 *οἷα τῷ Κρόνῳ ἔθυον*. Fusius de Carthaginiensium sacrificiis humanis egit M. Mayer, Roscher Myth. Lex. s. v. ‘Kronos’ (vol. II 1 p. 1498 sqq.), qui contendit alias ab auctoribus non traditum esse Carthaginienses hostias igni necavisse, praeterea solum Plutarchum narrare infantes Carthagine vivos crematos esse. Sed Mayer locum quendam neglexit, qui idem clarius etiam refert, quod Plutarchus; vide Suidae Lex. s. v. *Σαρδάνιος γέλως. . . καί φασιν ἄλλοι τε καὶ Κλείταρχος, ἐν Καρχηδόνι ἐν ταῖς μεγάλαις εὐχαῖς παῖδα ταῖς χερσὶ τοῦ Κρόνου ἐπιτιθέντας· ἵδρυται δὲ χαλκοῦς, προβεβλημένας ἔχων τὰς χεῖρας, ὑφ' ᾧ κρί-*

βανος· ἔπειτα ὑποκαίειν· τὸν δὲ συνελκόμενον ὑπὸ τοῦ πυρὸς δοκεῖν γελᾶν.[1]) Num Plutarchus vel eius auctor hauserit ex Clitarchi operibus, num utriusque fons fuerit idem, difficile est dictu, nam alios quoque eandem rem rettulisse prodit Suidas (*καί φασιν ἄλλοι*).

Hiatu *Κρόνῳ ἔθυον* offensus Benselerus l. c. p. 436 annotavit: 'Fortasse olim *ἔθυον*, quo facile caremus, non fuit adscriptum.' Quam sententiam ego quidem non sequar, quod hiatus nomine proprio factus non est gravior, quam ut ferri possit, vide p. 421, 1 *τῷ Ἅιδῃ, ὅν*; Weissenberger l. c. p. 19.

p. 420, 13 *Ἐμπεδοκλῆς*; e cuius libro, qui inscribitur *καθαρμοί*, petiti sunt versus a Plutarcho p. 420, 15, 16 traditi. Videmus Empedoclem altissime imbutum esse Pythagorae doctrina, quae erat de animi migratione, v. Zeller I 2 p. 806 sqq. Versus Empedoclis, quos tradit Plutarchus, apud Sextum Empiricum quoque legimus ibique pleniores:[2])

μορφὴν δ' ἀλλάξαντα πατὴρ φίλον υἱὸν ἀείρας
σφάζει ἐπευχόμενος μέγα νήπιος· οἱ δ' ἐπορεῦνται
λισσόμενοι θύοντας, ὁ δ' αὖ νήκουστος ὁμοκλέων
σφάξας ἐν μεγάροισι κακὴν ἀλεγύνατο δαῖτα
ὣς δ' αὔτως πατέρ' υἱὸς ἑλὼν καὶ μητέρα παῖδες
θυμὸν ἀπορραίσαντε φίλας κατὰ σάρκας ἔδουσιν.

p. 420, 25 Typhon Graecis summum crudelitatis videbatur, v. Dion. Chrys. I 67 sqq. (ed. Arnim). Nominis plurali Plutarchus in libello quoque, qui fertur de facie in orbe Lunae (945 b), utitur: *Τιτυοὶ δὲ καὶ Τυφῶνες*.

p. 420, 26. Gigantes erant e gente valida, feroci,

1) vide Ennium ann. 221 ed. Vahlen[2]: 'Poeni suos soliti dis sacrificare puellos'.

2) adv. mathematicos IX 129, vide Diels, die Fragmente der Vorsokratiker I, Berlin 1906, Empedocles B. Fragm. 137 p. 213 sq.

scelerata, Diodor. IV 21, 5 *μυθολογοῦσιν ἄνδρας γενέσθαι ταῖς τε ῥώμαις προέχοντας καὶ ἐπὶ παρανομίᾳ διωνομασμένους, οὓς ὀνομάζεσθαι γίγαντας*, vide J. Ilberg, Rosch. Myth. Lex. I 2 s. v. 'Giganten'.

p. 420, 28 *Ἄμηστρις ἡ Ξέρξου γυνή.* Iam Wyttenbach VI 1037 huic loco addidit Herod. VII 114: *Ἄμηστριν τὴν Ξέρξεω γυναῖκα πυνθάνομαι γηράσασαν δὶς ἑπτὰ Περσέων παῖδας . . ὑπὲρ ἑωυτῆς τῷ ὑπὸ γῆν λεγομένῳ εἶναι θεῷ ἀντιχαρίζεσθαι κατορύσσουσαν.* Quae autem Plutarchus prodit, illi Herodoti loco contradicunt; nam Plutarchus non refert quattuordecim necatos esse, sed duodecim, neque pueros, sed viros. Perspicuum est igitur Plutarchum vel illius auctorem erravisse; sed fieri potest, ut cognoscamus, quae fuerit causa. De Cambyse enim Herodotus similia narrat III 35: *τότε μὲν ταῦτα ἐξεργάσατο, ἑτέρωθι δὲ Περσέων ὁμοίους τοῖσι πρώτοισι δυώδεκα ἐπ' οὐδεμιῇ αἰτίῃ ἀξιοχρέῳ ἑλὼν ζώοντας ἐπὶ κεφαλὴν κατώρυξε.* Ex illis duabus narrationibus sunt orta, quae Plutarchus prodit.

p. 421, 18 *ἐν μέσῳ κειμένην τὴν εὐσέβειαν.* Haec est Aristotelis doctrina, Eth. Nic. B 1106 b 16: *μέσον τε καὶ ἄριστον, ὅπερ ἐστὶ τῆς ἀρετῆς . . τὸ δὲ μέσον ἐπαινεῖται καὶ κατορθοῦται· ταῦτα δ' ἄμφω τῆς ἀρετῆς· μεσότης τις ἄρα ἐστὶν ἡ ἀρετή, στοχαστική γε οὖσα τοῦ μέσου*, v. Zeller II 2 p. 632. Vide praeterea Horatii Eistp. I, XVIII 9: virtus est medium vitiorum et utrimque reductum.

Perfecto hoc commentario et grammaticae et criticae artis singulas quaestiones tractemus. Ac primum quidem grammatici spectemus, quibus scribendi legibus in libello de superstitione Plutarchus usus sit. — Vidimus illum scriptores Atticos secutum esse; nam hiatum evitavit. Hiatus non offendit in coli fine (vide ad p. 405, 2), ante *οὐδέ* (vide ad 403, 12),

ante nomen proprium (ad 420, 12). Elisione tolluntur declinationis primae breve *α* (ad 403, 8), *α* in singulari neutrius generis declinationis tertiae (ad 408, 7), verbale *αι* (ad 408, 15; 416, 21). Deinde Plutarchus verborum formis dialecti Atticae usus est (ad 403, 13), quin etiam usurpavit vocabula ab Atticis poetis maxime adhibita (ad 405, 15). Ut elegantem verborum sonitum efficeret, valde operam dedit (ad 405, 5; 407, 4; 417, 18). Quin etiam rhythmum quendam inesse in Plutarchi sermone et sententiarum clausulas metricas inveniri mihi quidem visum est. Sed non serviliter Atticos scriptores Plutarchus imitatus est; nam suorum quoque temporum linguam usurpavit (ad 403, 13; 407, 7; 410, 26), secutus popularem diatribae sermonem. Nam vidimus, quod iam Iosephus Seidel in dissertatione optime ostendit, Plutarchum in hoc libello maxime in scribendi legibus, quas usurpavit, diatriba usum esse. Legimus enim vocabula ex arte medicina prompta (ad p. 403, 8; 403, 12), comparationes inveniuntur ex arte piscatoria (ad 415, 16), ex re navali (ad 405, 8). Deminutiva sunt usurpata (ad 406, 26), figurae asyndeti (ad 403, 10; 403, 14), polysyndeti (ad 405, 8), isocoli (ad 405, 8); complura deinceps vocabula ab eadem syllaba incipientia vel in eandem desinentia scripta videmus (ad 405, 4); rebus inanimis et abstractis sensus, actiones, affectus attribuuntur (ad 405, 21); fictae personae introducuntur (ad 406, 11); imitationes denique Homericas invenimus (ad 415, 10).

In libello de superstitione igitur Plutarchum mox scriptores Atticos secutum esse mox illos, qui fecerunt diatribas, videmus. Qua de causa dicendi genus non est simplex et unum.

Iam vero ad c r i t i c a m quandam quaestionem transeamus. Bernardakis enim in edendo maxime

codicem Parisinum 1956 (D) et Ambrosianum 82 secutus est. Praeter illos inspexit, quos deteriores esse putavit, codices Parisinum 1672 (E), Venetum 249 (V^1), Venetum 250 (V^2), Venetum 511 (V^3); paucis in locis denique cognovit Neapolitanum 28 (vide Bernard. I p. XI sqq.). Bernardakis, cum singulorum codicum lectiones non attulerit, num recte Parisinum 1956 et Ambrosianum 82 optimos putaverit et cum iure reliquos neglexerit, difficile est diiudicare. Nihilo minus viri doctissimi inspecta Wyttenbachi editione et lectionibus, quas paucas Bernardakis ipse in praefationis p. XIX sqq. praebet, illius sententiae contradixerunt; cum Bernardakis summis laudibus codicem Parisinum efferret, Duebnero plurima interpolationis specimina in D esse persuasum fuit. Huius sententiam viri doctissimi, Chr. Larsen, Studia critica in Plutarchi Moralia, Hauniae 1889, p. 1 sq.; Sp. Vassis, de codice D Parisino n. 1956, Ἀθηνᾶ 1896 p. 266—69; U. v. Wilamowitz-Moellendorff, Göttinger gel. Anz. 1896 p. 326 sqq. secuti, Bernardaki vitio dabant, quod nimis codicis D scripturis confisus esset. Quo factum est, ut Bernardakis respondens in disputatione 'de Plutarchi Moralium codicibus praecipueque de codice Parisino D n. 1956' (Mnem. N. S. 24, 1896 p. 377—96) non paucas codicis D lectiones, quibus illum codicem esse optimum plane ostendere voluit, in lucem ederet. Quibus lectionibus editis fieri potest, ut eruamus utrum Bernardakis in sequendo codicem D recte fecerit an non. Cum vero de ea quaestione acturus esset, ut iam supra p. 3 dixi, vir doctus W. R. P a t o n, qui primam partem Plutarchi operum Moralium brevi tempore prelo est traditurus, ego, ut scirem, quid sentiret ille de hac re, ante haec tria semestria ab eo petiveram, ut mihi scriberet, quos codices optimos esse putaret utque, si placuisset, mecum communicaret codi-

cum novas collationes. Adverso autem casu factum est, ut hoc ipso demum tempore,[1]) quo dissertationis meae maior pars typis erat impressa, collationes illas codicum acciperem. Maximas gratias habeo Patoni, quod tanta benevolentia et benignitate mihi misit, quae petiveram, quamquam fieri iam non potest, ut materia in commentario ita utar, ut volueram; illorum locorum autem, de quibus supra scripsi, lectiones novas infra p. 70 addam.

Paton igitur codicem D maxime interpolatum esse censet eodem modo quo codicem Ven. 511, qui codices sunt simillimi. Ea sententia, quae materia mihi missa fulcitur, coactus sum hanc dissertationis meae partem paululum aliter atque antea volueram constituere. Ego enim ostenderam usus illa materia, quam Bernardakis in Mnemosyna in lucem ediderat, codicem D et multos locos praebere certe interpolatos et multos locos, in quibus ille codex solus bonam lectionem haberet. Ita hanc fere quaestionis summam duxeram: 'Codex D ex optimo quodam codice exceptus est. Ille codicis D fons, num sit codex nobis ad hunc diem ignotus an plane deletus, nondum constat. Qui autem scripsit codicem D, non modo verba fontis genuina descripsit, sed etiam locos, quos difficiles intellectu putavit, correxit. Quod probatur inter alios locos illo dialecti doricae p. 417, 10 sqq., quem, qui scripsit codicem D, cum non intellegeret, omisit. Ita factum est, ut codex D plerisque locis maxime perspicuas sed non semper veras lectiones praebeat.' Paton autem non plane cum hac

1) Eodem tempore prodiit novissima de Moralium codicibus dissertatio: Gottfr. Behr, die handschriftliche Grundlage der im Corpus der Plutarchischen Moralia überlieferten Schrift *περὶ παίδων ἀγωγῆς*, diss. Würzburg 1911. Haec tamen eis, quae ego probaturus sum, novi nihil adiecit.

opinione consentit, cum omnibus fere locis codicis D lectiones reiciat, et etiam eis locis, in quibus codicis D lectionem esse bonam putavi, aut reliquos codices secutus est aut novas coniecturas exhibet. Disserere de illis locis, priusquam editio nova est in manibus doctorum virorum, opportunum non duco. Qua de causa de locis illis, quos me iudice D solus integros exhibet, verba amplius non addam; hoc unum autem pluribus demonstrabo codicem D non paucis locis esse interpolatum. Quae interpolationis specimina intelleguntur non eis locis, in quibus reliquorum quoque codicum lectiones plane turbatae sunt, sed iis, in quibus illorum codicum lectiones Plutarchi loquendi usum iure secutae non statim animo comprehendi possunt, dum codex D lectionem facilem intellectu contra Plutarchi sermonis consuetudinem praebet. Respiciamus locos hos, quos singillatim supra tractavimus: p. 403, 7 *μοχθηρότατον* D et Harl., *μοχθηρότερον* rell.; p. 408, 11 cum Plutarchum nihil nisi *πόσῳ δὲ δεινότερον οἴεσθε πάσχειν ἀνεκφεύκτους, ἀναποδράστους, ἀνυποστάτους* scripsisse verisimile sit, quae tamen lectio iam ab aliis codicibus addendo in peius mutata est, D qui scripsit, insuper *λαμβάνοντας* addidit, ut locum faciliorem intellectu redderet; p. 410, 20 *ἀνθρωπόμορφα τῶν θεῶν τὰ εἴδη ποιοῦσιν* D, ubi genuina lectio est *τὰ σώματα εἶναι*; p. 411, 15 cum codices reliqui *βαρυπαθῆ* praebeant, codicem D qui scripsit verbis sequentibus commotus in lectionem deteriorem *περιπαθῆ* mutavit; p. 411, 19 pro *σπαθᾶται*, quod codices reliqui praebent, codex D solus *πράττεται*; p. 415, 2 Hesiodi carminis verbis fortasse commotus codicem D qui scripsit contra Plutarchi loquendi usum *τε* vocabulum post *Διί* omisit; p. 418, 23 codicum reliquorum lectionem iam corruptam *κἂν δέδιε καὶ προσκυνῇ καὶ θύῃ καὶ κάθηται πρὸς ἱεροῖς οὐ*

θαυμαστός ἐστι non intellegens codicem D qui scripsit certe falso supplevit *καίτοι προςκυνεῖ καὶ θύει καὶ κάθηται πρὸς ἱεροῖς, καὶ οὐ θαυμαστόν ἐστι.*

Qui loci opinioni codicem D esse optimum minime favent. Qua de causa non licet illum codicem solum in edendo sequi, quod fecit Bernardakis, sed praeter illum alii codices in emendando sunt conferendi, quod nos quidem, quatenus licuit, fecimus.

Sequantur illorum locorum, de quibus supra disserui, lectiones, quas ex collationibus a W. R. Paton mihi missis ut lectionum conspectus plenior evadat, addendos esse putavi,[1]) quamquam, quae supra statui, iis non commutantur. **p. 403, 7** *μοχθηρότατον* Mosqu. 387, D, *μοχθηρότερον* rell.; **p. 405, 22** *τότε* Barber. 182, Marc. 250, Urbin. 98, *ποτέ* rell. (lectio *ποτέ* igitur non Pflugki coniecturae, quod supra p. 11 dixi, debetur); **p. 406, 4** *ἤσθησαν* Marc. 250, Urbin. 98, *ἤσθοντο Δ*; **p. 408, 5** *εἰρήνην ὁμόνοιαν* Barber. 182, Marc. 250, Urbin. 98; *ὁμόνοιαν εἰρήνην* rell. (Hercher hoc loco non erravit, quod supra p. 22 censui, sed codices secutus est); **p. 408, 11** *οἴεσθε Δ*, Aldina, *οἴεσθαι* rell.; *πάσχειν αὐτοὺς Δ*, *αὐτούς* om. rell.; *λαμβάνοντας* solus D, rell. om.; **p. 408, 14** *πολεμίους οἱ φεύγοντες* D, *οἱ* deest in rell. (Hercher et Bernardakis, qui scribunt *πολεμίους οἱ φεύγοντες* codicem D sequuntur, v. supra p. 23 sq.); **p. 409, 18** *ὥστε* D, rell. om. (cum supra p. 28 scriberem *ὥστε* a codicibus non traditum esse, erravi); **p. 411, 15** *περιπαθῇ Δ*; **p. 414, 11** *τε καὶ Δ*, *ἢ Ω*; **p. 418, 23** *καὶ* Mosqu. 387, Barber. 182 m[1], Marc. 250, Urbin. 98, *καίτοι* D, *κἂν* rell.; *δέδιε* (*-εν* C, Barber. 182) *καὶ Ω*, Ven. 511, om. D; *προςκυνῇ καὶ θύῃ* Barber. 182 m[2]., Urbin. 100,

1) Δ significat consensum codicum D et Ven. 511, Ω sunt omnes codices praeter Δ.

Ven. 511, *προςκυνεῖ* (*γε* add. D) *καὶ θύει* rell.; *καθῆται* corr. Duebner, *κάθηται* codd.; *ἱεροῖς καὶ οὐ θαυμαστόν ἐστι* D, *ἱεροῖς οὐ θαυμαστός ἐστι* rell.

Postremo de libelli nostri fontibus disseram. Itaque iam quaerendum est, utrum illa, quae prodit Plutarchus, sint hausta ex aliorum quorundam scriptorum operibus, an Plutarchus suas ipsius sententias attulerit. Ut hanc rem diiudicemus, quae Plutarchus refert, paucis comprehendamus.

Ex eodem fonte, ex inscitia deorum atque ignorantia ortae sunt impietas et superstitio. Utraque est opinio falsa de rebus divinis. Cum autem impietas efficiatur opinione falsa sola, superstitio est opinio falsa coniuncta cum animi perturbatione. Licet multae animi perturbationes minime despiciendae sint, tamen inter omnes est pessimus timor. Sed illa animi perturbatio, timor, coniunctus cum opinione falsa de rebus divinis, ea est superstitio. Superstitio autem inter omnes timores pessimus; nam ille timor ad omnia pertinet, nunquam desinit, homines nusquam relinquit, quin etiam quae post mortem futura sunt, horribilia reddit. Impietas contra est stupor deos non sentientium. Quid sit superstitio, ea ratione ostenditur, qua se gerant et superstitiosi et impii in rebus eisdem. In rebus adversis, in morbo, in calamitatibus impius resistit fortunae, et quod servari potest, ab illo servatur. Superstitiosus contra sedet otiosus, non audens quicquam incipere, veritus ne numini resistat, a quo omnia mala sibi mitti putat. Et similiter se diversos praebent impii et superstitiosi in rebus secundis. Impius est laetus, superstitiosus autem anxius timet, ne dei res secundas commutent in res adversas; nam deos superstitiosus metuit eodem modo, quo inimicos suos. Itaque superstitio certe est impietas, multo magis despicienda quam deorum negatio, nam ex

illa superstitio fieri non potest, at ex superstitione haec. Ea igitur est praeferenda superstitioni, nam homines non commovet, ut faciant talia facinora qualia superstitiosi, ut homines sacrificent, ut suos liberos turpissime interficiant. Itaque superstitio est fugienda, non autem ita, ut impietas petatur, sed spectanda pietas, quae est in medio inter superstitionem et impietatem.

Instituamus disquisitionem a Plutarchi sententia superstitionem et impietatem esse opiniones falsas, superstitionem esse opinionem falsam cum animi perturbatione coniunctam, impietatem contra opinionem falsam sine animi perturbatione. Utramque esse fugiendam et petendam esse, quae ponatur inter illas, pietatem. Quae scribens Plutarchus plane consentit cum Aristotele (vide supra p. 65), qui idem docuit virtutem fieri et ex animi quadam perturbatione et ex ratione. Minime licere, ut plane deleretur animi perturbatio, quam dicunt Graeci *πάθος*, sed opus esse illam perturbationem animi coerceri. Ita effici veram virtutem. Similiter cum hac Aristotelis argumenti ratione consentit Plutarchus in libello illo, qui inscribitur 'de virtute morali' (440 d—452 e), ubi fortitudo est inter ignaviam et temeritatem, quarum neutra virtus est. Ignavia plane caret alacritate, temeritas alacritate abundat. Alacritas autem est perturbatio, quam vocant *πάθος*. Fortitudo contra non habet tantum alacritatis quantum temeritas, sed plus quam ignavia; itaque est ea virtus moralis. Tales sententiae cum non modo in libello de superstitione solo legantur, Plutarchum ex Aristotelis libris ipsius hausisse puto. Ad eam opinionem quadrat, quod Plutarchum in multis libellis easdem opiniones secutum esse, quas Aristotelem, non ignoramus, v. Zeller III 1 p. 185. Chaeronensem praeterea, cum affirmet pietatem esse virtutem suam ipsius sententiam prodere, cognoscimus e libro, qui fertur de Iside et Osiride (378 a), *ἔνιοι γὰρ ἀποσφαλέντες παντάπασιν εἰς δεισιδαιμονίαν ἔλαθον αὖθις ὥσπερ εἰς κρημνὸν ἐμπεσόντες τὴν ἀθεότητα.* Plutarchus igitur in libro *περὶ δεισιδαιμονίας* voluit ostendere impietatem et superstitionem fugiendas esse, contra petendam pietatem. Ut illud probaret, opus erat Plutarchum demonstrare, quam turpiter et impius et superstitiosus se gererent, quam egregie contra pius. Plutarchus autem in libelli sui capitibus mediis describit superstitiosum et impium, superstitiosum quidem vehementissime vituperans, minime autem impium. Ubi comparantur superstitiosus et impius, superstitioso anteponitur impius. Quin etiam impium nobis ita ostendit, ut pulcherrimum, quod ille facit, videatur. Nemo igitur negabit illa contradicere aliquantum sententiae in initio et fine libelli a Plutarcho allatae. Nulla autem alia re, ut Plutarchus in eodem libello sibi ipse contradiceret, fieri potuit, nisi eo, quod scriptores quosdam, qui aliter atque ipse cogitaverunt, in libello conscribendo hic illic praeter modum secutus sit. Et mihi quidem videtur Plutarchus unum modo scriptorem secutus esse, nam impius nimis saepe laudatur, quam ut opinari possimus Chaeronensem ex compluribus auctoribus materiam congessisse. Plutarchum igitur in hoc libello praeter suas ipsius sententias alius cuiusdam auctoris opiniones afferre dico.[1])

1) Recte R. Schmertosch, de Plutarchi sententiarum, quae ad divinationem spectant, origine, Lips. 1889, p. 1 sq. dixit illos, qui de Plutarchi philosophia disputaverunt uberius, omnes ad unum in eo peccavisse, quod ex tot Chaeronensis libris, in quibus aliae sententiae aliis repugnant, aliae magnopere fluctuant, se elicuisse certam Plutarchi doctrinam et sibi et aliis persuaserunt. In illis sunt hi libelli: Eichhoff, Über Plutarchs religiös-sittliche Weltansicht, Gymn. Progr. Elberfeld 1833; G. G. Nitzschius, De Plutarcho theologo et philosopho populari,

Rem ita esse ex ea quoque re intellegitur, quod ostendere possumus sententias, quas prodit Plutarchus in libello de superstitione a reliquorum librorum opinionibus differre. Quod facile videmus, si nostrum libellum cum reliquis Plutarchi scriptis comparamus. Saepe enim Plutarchus sententiis in libro, cui inscriptum est *περὶ δεισιδαιμονίας*, allatis contradicit. Cuius rei afferam exempla nonnulla. Primo spectemus, quomodo Plutarchus de Orco cogitaverit in scriptis singulis. In libello de superstitione Plutarchus illudit timori superstitiosis iniecto, ne apud inferos maximas poenas solverent. In libro, qui inscribitur 'Non posse suaviter vivi secundum Epicurum' contra Plutarchus opinatur opus esse homines credere se apud inferos poenas soluturos esse, v. p. 1104 b *οἱ μὲν οὖν ἄδικοι καὶ πονηροὶ τὰς καθ' Ἅιδου δίκας καὶ τιμωρίας δεδιότες καὶ φοβούμενοι κακουργεῖν καὶ διὰ τοῦτο μᾶλλον ἡσυχίαν ἄγοντες ἥδιον βιώσονται καὶ ἀταρακτότερον.*

Porro dicit de superstitione 166 f (p. 408, 20 sqq.) *πέρας ἐστὶ τοῦ βίου πᾶσιν ἀνθρώποις ὁ θάνατος. τῆς δὲ δεισιδαιμονίας οὐδ' οὗτος, ἀλλ' ὑπερβάλλει τοὺς ὅρους ἐπέκεινα τοῦ ζῆν, μακρότερον τοῦ βίου ποιοῦσα τὸν φόβον καὶ συνάπτουσα τῷ θανάτῳ κακῶν ἐπίνοιαν ἀθανάτων.*

Plutarchus, cum in libello, qui inscribitur de superstitione, minime credere videatur esse Orcum et poenas tristissimas (vide p. 409, 5 *οὕτως ἡ κακο-*

Ind. Schol. in Acad. Christ. Albert. per sem. aest. inst. Kiliae 1849; Wilh. Moeller, Über die Religion Plutarchs, Kiel 1881 (Schriften der Universität zu Kiel aus dem Jahre 1881, Band 27); Wilh. Scherer, der Gottesbegriff Plutarchs von Chaeronea im Lichte der christlichen Weltanschauung, Gymn. Progr. Regensburg 1908. Qua de causa in dissertatione conscribenda ex illis libellis uberiorem fructum non percepi.

δαίμων δεισιδαιμονία τῇ περιττῇ πρὸς ἅπαν τὸ δοκοῦν δεινὸν εὐλαβείᾳ λανθάνει ἑαυτὴν ὑποβάλλουσα παντοίοις δεινοῖς), in libro de sera numinis vindicta (548 a—568 b) contrarium confitetur. Ibi enim refert Thespesium quendam pro mortuo iacuisse per tres dies; postquam autem animus redisset, Thespesium prodidisse animum corpore relicto isse ad inferos et spectavisse malos homines maxime vexatos (p. 567—568). Apud inferos fuisse daemones quosdam, qui animas mortuorum forcipibus submersissent in lacus suppliciorum plenos, inter quas Neronis animam se vidisse turpissime vexatam, clavis fervidis perfossam. Illud scripsit vir philosophus ita, ut sua ipsius sententia esse videatur, idem qui edidit libellum contra superstitiosos. Sed transeamus ad alios locos. In libello, qui fertur de superstitione, Plutarchus opinatur superstitiosos in deorum templis maxima pati, cum impius nulla re terreri possit; quin etiam in sacrificiis impium gaudere de stultitia sacrificantium (169 d, e). Contraria legimus in libello, cui inscriptum est 'Non posse suaviter vivi', p. 1102 a *ταύτης* (*τῆς ἡδονῆς καὶ χάριτος*) *οὐδὲν ἀνδρὶ μέτεστιν ἀπεγνωκότι τῆς προνοίας· οὐ γὰρ οἴνου πλῆθος οὐδ' ὄπτησις κρεῶν τὸ εὐφραῖνόν ἐστιν ἐν ταῖς ἑορταῖς, ἀλλὰ καὶ ἐλπὶς ἀγαθὴ καὶ δόξα τοῦ παρεῖναι τὸν θεὸν εὐμενῆ καὶ δέχεσθαι τὰ γιγνόμενα κεχαρισμένως. αὐλὸν μὲν γὰρ ἑτέρων ἑορτῶν καί στέφανον ἀφαιροῦμεν, θεοῦ δὲ θυσίᾳ μὴ παρόντος, ὥσπερ ἱερὸν δοχῆς, ἄθεόν ἐστι καὶ ἀνεόρταστον καὶ ἀνενθουσίαστον τὸ λειπόμενον, μᾶλλον δ' ὅλον ἀτερπὲς αὐτῷ καὶ λυπηρόν· ὑποκρίνεται γὰρ εὐχὰς καὶ προςκυνήσεις, οὐδὲν δεόμενος, διά τὸν φόβον τῶν πολλῶν καὶ φθέγγεται φωνὰς ἐναντίας οἷς φιλοσοφεῖ.*

De superstitione 169 d (p. 415, 23) legimus *ἐνταῦθα τοίνυν σκόπει τὸν ἄθεον γελῶντα μὲν μανικὸν καὶ Σαρδόνιον γέλωτα τοῖς ποιουμένοις καί που παραφθεγγόμενον*

ἀτρέμα πρὸς τοὺς συνήθεις, ὅτι τετύφωνται καὶ δαιμονῶσιν οἱ θεοῖς παῦτα δρᾶσθαι νομίζοντες, ἄλλο δ' οὐδὲν ἔχοντα κακόν. At in libello, qui inscribitur 'non posse suaviter vivi', Plutarchus impium minime ostendit pulchre se gerentem. Impius eundem se praebet ac superstitiosus, et verba simillima illis, quibus in libello de superstitione descripserat Plutarchus superstitiosum, usurpat philosophus noster hoc loco, ut nobis ostendat impium, 1102 c *ἢ καὶ τοὺς δεισιδαίμονας οὐ χαίροντας ἀλλὰ φοβουμένους οἴονται θυσίαις καὶ τελεταῖς ὁμιλεῖν, μηδὲν ἐκείνων αὐτοὶ διαφέροντες, εἴ γε διὰ φόβον ταὐτὰ δρῶσιν, οὐδ' ἐλπίδος χρηστῆς ὅσον ἐκεῖνοι μεταλαγχάνοντες, ἀλλὰ μόνον δεδιότες καὶ ταραττόμενοι μὴ φανεροὶ γένωνται τοὺς πολλοὺς παραλογιζόμενοι καὶ φενακίζοντες.* Quin immo Plutarchus, cum in libello de superstitione impium antefert superstitioso, in libello, qui inscribitur 'non posse suaviter vivi', superstitiosum meliorem esse, quam impium affirmat. Ita oriuntur sententiae sibi plane contradicentes. Inter quas sunt 'non posse suaviter vivi' 1101 d, e *ἡ δὲ τῶν πολλῶν καὶ ἀμαθῶν καὶ οὐ πάνυ μοχθηρῶν διάθεσις πρὸς τὸν θεὸν ἔχει μὲν ἀμέλει τῷ σεβομένῳ καὶ τιμῶντι μεμιγμένον τινὰ σφυγμὸν καὶ φόβον, ᾗ καὶ δεισιδαιμονία κέκληται· τούτου δὲ μυριάκις πλεῖόν ἐστι καὶ μεῖζον αὐτῇ τὸ εὔελπι καὶ περιχαρὲς καὶ πᾶσαν εὐπραξίας ὄνησιν ὡς ἐκ θεῶν οὖσαν εὐχόμενον καὶ δεχόμενον. δῆλον δὲ τεκμηρίοις τοῖς μεγίστοις· οὔτε γὰρ διατριβαὶ τῶν ἐν ἱεροῖς οὔτε καιροὶ τῶν ἑορτασίμων οὔτε πράξεις οὔτ' ὄψεις εὐφραίνουσιν ἕτεραι μᾶλλον ὧν ὁρῶμεν ἢ δρῶμεν αὐτοὶ περὶ τοὺς θεούς, ὀργιάζοντες ἢ χορεύοντες ἢ θυσίαις παρόντες ἢ τελεταῖς. οὐ γὰρ ὡς τυράννοις τισὶν ἢ δεινοῖς κολασταῖς ὁμιλοῦσα τηνικαῦτα ἡ ψυχὴ περίλυπός ἐστι καὶ ταπεινὴ καὶ δύσθυμος, ὅπερ εἰκὸς ἦν· ἀλλ' ὅπου μάλιστα δοξάζει καὶ διανοεῖται παρεῖναι τὸν θεόν, ἐκεῖ μάλιστα λύπας καὶ φόβους καὶ τὸ φροντίζειν*

ἀπωσαμένη τῷ ἡδομένῳ μέχρι μέθης καὶ γέλωτος καὶ παιδιᾶς ἐφίησιν ἑαυτήν.

Quibuscum conferas de superstitione 169 e (p. 416, 6 sqq.) *ἐστεφανωμένος ὠχριᾷ (ὁ δεισιδαίμων), θύει καὶ φοβεῖται, εὔχεται φωνῇ παλλομένῃ καὶ χερσὶν ἐπιθυμιᾷ τρεμούσαις, καὶ ὅλως ἀποδείκνυσι τὸν Πυθαγόρου λόγον φλύαρον εἰπόντος ὅτι βέλτιστοι γιγνόμεθα πρὸς τοὺς θεοὺς βαδίζοντες· τότε γὰρ ἀθλιώτατα καὶ κάκιστα πράττουσιν οἱ δεισιδαίμονες, ὥσπερ ἄρκτων φωλεοῖς ἢ χειαῖς δρακόντων ἢ μυχοῖς κητῶν τοῖς τῶν θεῶν μεγάροις ἢ ἀνακτόροις προσιόντες.*

Videamus praeterea, quomodo de daemonibus in singulis scriptis cogitaverit Plutarchus. Daemones esse in libro de superstitione Plutarchus negare videtur, in libris ceteris autem affirmat, maxime in libello de defectu oraculorum. In illo libro docet Chaeronensis daemonas esse custodes sacrificiorum et consecrationum; daemonas esse colendos ab hominibus se vexantibus, loquentibus vocabula permira (vide p. 417 c). Contraria in libello, qui fertur de superstitione, Plutarchus postulat, ut recto et iusto ore deum invocemus, neve in hostia examinemus, an pura sit et recta lingua, dum nostras ipsorum linguas pervertentes et inquinantes, absurdis nominibus ac barbaris vocibus foedemus ac pervertamus divinam atque a maioribus acceptam religionis auctoritatem (vide p. 406, 16 sqq.). Et non daemones modo bonos esse Plutarchus in illo libello opinatur, sed etiam malos, qui hominibus quam maxime nocere conentur. Illos daemones mitigari opus est. Qua de causa antiquis temporibus homines, ne ariditas oreretur et pestis, sacrificati sunt. De hac re vide 'de defectu oraculorum' p. 417 d *καὶ τὰς πάλαι ποιουμένας ἀνθρωποθυσίας οὔτε θεοὺς ἀπαιτεῖν ἢ προσδέχεσθαι πιθανόν ἐστιν, οὔτε μάτην ἂν ἐδέχοντο βασιλεῖς καὶ στρατηγοὶ*

παῖδας αὐτῶν ἐπιδιδόντες καὶ καταρχόμενοι καὶ σφάττοντες, ἀλλὰ χαλεπῶν καὶ δυστρόπων ὀργὰς καὶ βαρυθυμίας ἀφοσιούμενοι καὶ ἀποπιμπλάντες ἀλαστόρων.

Contra 'de superstitione' p. 420, 5 sqq. *οὐκ ἄμεινον οὖν ἦν Γαλάταις ἐκείνοις καὶ Σκύθαις τὸ παράπαν μήτ' ἔννοιαν ἔχειν θεῶν μήτε φαντασίαν μήθ' ἱστορίαν ἢ θεοὺς εἶναι νομίζειν χαίροντας ἀνθρώπων σφαττομένων αἵματι καὶ τελεωτάτην θυσίαν καὶ ἱερουργίαν ταύτην νομίζοντας; τί δέ; Καρχεδονίοις οὐκ ἐλυσιτέλει Κριτίαν λαβοῦσιν ἢ Διαγόραν νομοθέτην ἀπ' ἀρχῆς μήτε τινὰ δαιμόνων μήτε θεῶν νομίζειν ἢ τοιαῦτα θύειν οἷα τῷ Κρόνῳ ἔθυον.* Accedit, quod in omnibus locis, in quibus Plutarchus refert esse daemonas malos, illos daemonas ita describit, ut putemus eos etiam dis invitis hominibus nocere posse. Quae si ita sunt, daemones plus valent quam dei. Sed illi opinioni in libro de superstitione Chaeronensis vehementissime contradicit, p. 420, 25 sq. *εἰ δὲ Τυφῶνές τινες ἢ Γίγαντες ἦρχον ἡμῶν τοὺς θεοὺς ἐκβαλόντες, ποίαις ἂν ἥδοντο θυσίαις ἢ τίνας ἄλλας ἱερουργίας ἀπήτουν;* Quo loco Plutarchus plane pronuntiat deis esse summam potestatem. Sed iam postremum exemplum addam. Spectemus enim, quid disseruerit Plutarchus de fabulis antiquis in libro, qui inscribitur 'de superstitione', conferentes opiniones contrarias ex ceteris libellis petitas. In libello nostro Plutarchus mythicos gravissime accusat. Dianam interfecisse Niobae pueros summum videtur mendacium. Praecipue autem illum esse puniendum, qui tales ineptias dixerit de numine, Homerum (p. 417, 26) *τούτους ἔδει κατατοξεῦσαι τοὺς τοσαύτην ὠμότητα καὶ πικρίαν καταψευδομένους αὐτῆς καὶ τοιαῦτα λέγοντας καὶ γράφοντας.* Aliter de mythicis iudicavit Plutarchus in aliis libris. Spectemus enim librum, qui inscribitur 'quomodo adulescens poetas audire debeat', p. 16 d *ὅταν οὖν*

ἄτοπόν τι καὶ δυσχερὲς ἐν τοῖς ποιήμασι λέγηται περὶ θεῶν ἢ δαιμόνων ἢ ἀρετῆς ὑπ' ἀνδρὸς ἐλλογίμου καὶ δόξαν ἔχοντος, ὁ μὲν ὡς ἀληθῆ προςδεξάμενος λόγον οἴχεται φερόμενος καὶ διέφθαρται τὴν δόξαν, ὁ δὲ μεμνημένος ἀεὶ καὶ κατέχων ἐναργῶς τῆς ποιητικῆς τὴν περὶ τὸ ψεῦδος γοητείαν καὶ δυνάμενος λέγειν ἑκάστοτε πρὸς αὐτήν 'ὦ μηχάνημα λυγκὸς αἰολώτερον', τί παίζουσα τὰς ὀφρῦς συνάγεις, τί δ' ἐξαπατῶσα προςποιῇ διδάσκειν; οὐδὲν πείσεται δεινὸν οὐδὲ πιστεύει φαῦλον, ἀλλ' ἐπιλήψεται μὲν τοῦ φοβουμένου τὸν Ποσειδῶνα καὶ ταρβοῦντος μὴ τὴν γῆν ἀναρρήξῃ καὶ ἀπογυμνώσῃ τὸν Ἅιδην. In illo libro igitur Plutarchus opinatur minime opus esse poetas nihil nisi verum dicere, quin etiam postulat, ut in poetarum carminibus nonnullae sint res fictae. Similiter Plutarchus pronuntiat in libro, cui inscriptum est 'de Iside et Osiride', mythos non despiciendos esse (358 e, f). Loquitur enim de Horo consecto et de Iside vi interfecta. Illas res nullo modo revera factas esse. Eum esse in frontem inspuendum, qui tales fabulas veras esse putet. Attamen illas fabulas pulcherrimas videri, 358 f *καθάπερ οἱ μαθηματικοὶ τὴν ἶριν ἔμφασιν εἶναι τοῦ ἡλίου λέγουσι ποικιλλομένην, τῇ πρὸς τὸ νέφος ἀναχωρήσει τῆς ὄψεως, οὕτως ὁ μῦθος ἐνταῦθα λόγου τινὸς ἔμφασίς ἐστιν ἀνακλῶντος ἐπ' ἄλλα τὴν διάνοιαν.*

Neque igitur in libro, qui fertur de Iside et Osiride, neque in libello, qui inscribitur: 'quomodo adulescens poetas audire debeat,' Plutarchus despicit fabulas antiquas. Solo autem in libro nostro mythos vehementissime vituperat, acerrime aggreditur mythicos et illorum vetustissimum Homerum.

Sententiis in libro, qui fertur de superstitione, allatis Plutarchum in reliquis libris saepe contradicere vidimus. Itaque crediderit quispiam illum libellum non scriptum esse a Plutarcho ipso. Sed illa opinio est

certe falsa, vide supra p. 1 annot. 1. Sin autem illius libelli auctor Plutarchus est, illa discrepantia nullo modo intellegi potest, nisi eo, quod Plutarchus ex alius scriptoris libello suam materiam sumpsit.[1] Ita enim factum est, ut materiam congestam ad unam eandemque normam redigere non posset. Cui opinioni favet, quod in libello ipso discrepantiam quandam argumenti exstare intelleximus.

Postquam autem demonstratum est Plutarchum sententias quasdam in libello, qui fertur de superstitione, scriptas ex alius cuiusdam auctoris opere sumpsisse, nunc est quaerendum, quisnam fuerit ille auctor. Apparet nobis primo exquirendum esse, qui scriptores praeter Plutarchum disseruerint de superstitione, et illorum operum quae reliquiae nobis traditae sint. Fieri enim potest, ut inter illos libellos Plutarchi fons in libro scribendo fuerit. Nonnulla, quae spectant ad hanc quaestionem, bene contulit D. Wyttenbach VI p. 998. Quattuor scriptores hoc loco commemorandi sunt: Theophrastus, Menander comicus, Antipater Tarsensis, Seneca. Primum Theophrastum spectemus.

Theophrasti inter opera est libellus, cui inscriptum est *χαρακτῆρες*. De superstitione fertur character XVI, qui inscribitur *Δεισιδαιμονίας*.[2] Quo in tractatu ostenditur, quomodo superstitiosi in variis rebus se gerant. Theophrastus refert illos persaepe lustrari (par. 2), quid faciant, si mustela currit per viam, quam sunt facturi (par. 3), si serpens invenitur domi (par. 4), si mus farinae saccum perrodit (par. 6), si crociunt ululae (par. 8), si in somniis aliquid viderunt (par. 11), si homines conspexerunt alio coronatos

1) vide Hirzel, Dialog II p. 126 sq.

2) Theophrasts Charaktere, herausgegeben und übersetzt von der philol. Gesellschaft zu Leipzig, 1897 p. 120 sqq.

(par. 13) vel mente alienata affectos (par. 14). Quibus additur a superstitiosis lapides in triviis oblini unguentis (par. 5), domum saepe expiari (par. 7), superstitiosos neque sepulcrum adire neque mortuum neque puerperam (par. 9). Iam videmus Theophrasti tractatum non ita similem esse Plutarchi libello, ut putare possimus Plutarchum ex Theophrasti scripto sumpsisse materiam. Attamen non negem in utroque libello similitudinem quandam inveniri posse. Dico illum locum, in quo et Plutarchus et Theophrastus narrat, quomodo superstitiosus se gerat, si in somniis aliquid viderit. Utrumque locum exscribam.

Theophrasti *Δεισιδαιμονίας* par. 11 sq. *καὶ ὅταν ἐνύπνιον ἴδῃ, πορεύεσθαι πρὸς τοὺς ὀνειροκρίτας, πρὸς τοὺς μάντεις, πρὸς τοὺς ὀρνιθοσκόπους, ἐρωτήσων, τίνι θεῶν ἢ θεᾷ εὔχεσθαι δεῖ, καὶ τελεσθησόμενος πρὸς τοὺς Ὀρφεοτελεστάς· καὶ τῶν περιρραινομένων ἐπὶ θαλάττης ἐπιμελῶς δόξειεν ἂν εἶναι κατὰ μῆνα πορευόμενος.*

Plutarchi de superstitione p. 406, 6 *ὕπαρ ἐξαπατῶσιν ἑαυτοὺς καὶ ταράττουσι καὶ δαπανῶσιν εἰς ἀγύρτας καὶ γόητας ἐμπεσόντες λέγοντας*

'ἀλλ' εἴτ' ἔνυπνον φάντασμα φοβεῖ,
χθονίας θ' Ἑκάτης κῶμον ἐδέξω'

τὴν περιμάκτριαν κάλει γραῦν καὶ βάπτισον σεαυτὸν εἰς θάλασσαν καὶ καθίσας ἐν τῇ γῇ διημέρευσον. Sed vel hoc loco discrepantia est maior similitudine.

Transeamus ad Menandrum. Inter eius fabulas fuit illa, cui inscriptum erat *Δεισιδαίμων*.[1] Qua ex fabula Plutarchum haud dubie in suum de superstitione libellum multum derivavisse Aug. Meineke l. c. p. 100 affirmat. Sed videamus, num Meineke

1) vide Fragm. C. Graec. coll. Aug. Meineke, vol. IV, Berolini 1841 p. 100; C. A. Fragm. ed. Th. Kock vol. III pars II, Lipsiae 1888 p. 32.

recte dixerit. Fabulae illius Menandri paucas reliquias ipso fabulae titulo addito servatas composuit Th. Kock l. c. p. 32. Nonnullas reliquias fabulae nomine non addito traditas praeter illas huc referendas esse viri docti opinati sunt. Illas omnes collegit Aug. Meineke l. c. p. 100. Quarum primo spectemus reliquias, quas ex illa comoedia sumptas esse inter omnes constat. In illis fere nihil invenitur, quod probet Plutarchum in libello nostro scribendo usum esse Menandri fabula. Nisi forte alicui in mentem veniat fragmentum 109 (ed. Kock) vers. 3 *εἰκότως, ὦ φλήναφε· | σαπρὸς γὰρ ἦν, σὺ δὲ μικρολόγος ἄρ' οὐ θέλων | καινὰς πρίασθαι.* Menander enim hoc loco vocabulo *μικρολόγος* eodem modo utitur, quo Plutarchus in libello, qui fertur de superstitione p. 420, 4. Sed hac re non probatur Plutarchum ex Menandri fabula sumpsisse materiam. At non ignoramus Menandrum in aliis quoque fabulis superstitiosis illusisse. Itaque percurramus omnes fabularum omnium reliquias, num locos inveniamus, in quibus eadem legamus, quae apud Plutarchum. Locos ex Menandri fabulis sumptos, qui spectant ad superstitiosos iam contulit Cl. Jo. Babick, de deisidaemonia veterum quaestiones, Lipsiae 1891, p. 25 sqq. Sunt autem hi: Menandri frg. 530, 21 sqq. (ed. Kock) et Plutarchi de superst. p. 413, 6 sqq. (vide supra p. 38); Menandri frg. 544, 1 sqq. (ed. Kock) et Plutarchi de superst. p. 418, 7 sqq. (vide supra p. 33); Menandri frg. 544, 4 sqq. (ed. Kock) et Plutarchi de superst. p. 413, 1 sqq. (vide supra p. 33 sq.). Illos locos omnes inter se esse conexos apparet.

Praeter hos locos iam a Babickio comparatos fortasse unus quem ego addam commemorandus est:

Menandri frg. 534 (ed. Kock) [1])

1) vide Wyttenbach, VI p. 1017.

ἅπαντα τὰ ζῷ' ἐστὶ μακαριώτατα
καὶ νοῦν ἔχοντα μᾶλλον ἀνθρώπου πολύ.
τὸν ὄνον ὁρᾶν ἔξεστι πρῶτα τουτονί,
οὗτος κακοδαίμων ἐστὶν ὁμολογουμένως·
τούτῳ κακὸν δι' αὑτὸν οὐδὲν γίνεται,
ἃ δ' ἡ φύσις δέδωκεν αὐτῷ, ταῦτ' ἔχει.
ἡμεῖς δὲ χωρὶς τῶν ἀναγκαίων κακῶν
αὐτοὶ πὰρ' αὑτῶν ἕτερα προςπορίζομεν.
λυπούμεθ' ἂν πτάρῃ τις, ἂν εἴπῃ κακῶς
ὀργιζόμεθ', ἂν ἴδῃ τις ἐνύπνιον σφάδρα
φοβούμεθ'.

Plutarchi de superst. p. 411, 19 *τοῦ δὲ δεισιδαίμονος οὐχ οὗτος ὁ τρόπος, ἀλλ' εἰ καὶ μικρότατον αὐτῷ κακόν τι συμπεπτωκός ἐστιν, ἄλλα κάθηται πάθη χαλεπὰ καὶ μεγάλα καὶ δυσαπάλλακτα τῇ λύπῃ προςοικοδομῶν, καὶ προσεμφορῶν αὕτῳ δείματα καὶ φόβους καὶ ὑποψίας καὶ ταραχάς.*

Vidimus igitur Plutarchi libellum de superstitione nonnullis locis fere idem praebere, quod fragmenta quaedam Menandri; neque cum iniuria Aug. Meineke multa ex Menandri fabulis in Plutarchi libello inveniri pronuntiavisse videatur. Attamen Menandrum fuisse illum scriptorem, quem philosophus Chaeronensis in plurimis secutus est, verisimile non videtur. Nam Plutarchus in libello sententias philosophas tractare voluit, ostendens pietatem esse veram virtutem inter impietatem et superstitionem positam (vide supra p. 71 sqq.); qua de causa opus est Chaeronensem ex philosopho quoque auctore materiam sumpsisse. Menandri dicta usurpavit orationis ornandae causa; sententias autem philosophas numero tot fuisse in Menandri comoediis, ut Plutarchus ex illis hauserit totum ut ita dicam systema, verum non videtur mihi. Ergo fieri debuit, aut ut Plutarchus alium scriptorem

maxime secutus sit in libello nostro scribendo et praeter eum Menandri quoque fabulis usus sit, aut ut ille scriptor, cuius ex opere noster hausit, nonnulla Menandri dicta receperit in librum suum; Plutarchus autem, dum illius scriptoris sententias secutus est, Menandri quoque dicta cum illis opinionibus recepit. Et mihi quidem hoc verisimilius videtur. Si enim Chaeronensis operam dedisset, ut complurium auctorum opusculis in libello scribendo uteretur, Menandri sententias legeremus in libelli locis, in quibus suas ipsius sententias prodidit, non in quibus alius cuiusdam auctoris opinionem secutus est. Inveniuntur autem Menandrea in tractatus capitibus mediis, quae Plutarchi opiniones non praebere supra demonstravimus (p. 72 sqq.).

Sed videamus quaestionis summam. Ex cuiusnam scriptoris opusculo Plutarchus Menandrea illa hausit? Num ex Antipatro Tarsensi? Philosophus ille stoicus anno fere 150 a. Chr. n. librum scripsit de superstitione, quem commemoravisse Athenaeum supra p. 59 dixi. Ille locus cuius verba cum Plutarcho non consentiunt solus est, ex quo Antipatrum librum scripsisse de superstitione comperimus. Sed ex illo loco Fr. G. Welker, Griechische Götterlehre II 140 conclusit Plutarchum ex Antipatri opere hausisse. Cui sententiae recte contradicit Babick l. c. p. 1 annot. 2, quem secutus Antipatrum non fuisse Plutarchi auctorem iam supra p. 59 sq. probavi. Contra fieri potest, ut et Antipater et Plutarchus ex eodem libro materiam sumpserint.

Restat, ut de L. Annaeo Senea disseram. Is philosophus nobilissimus temporibus fere quibus Plutarchus natus est, scripsit de superstitione. Cuius libri paucissimae reliquiae nobis traditae sunt, quas collegit

Fridericus Haase.1) Illas reliquias si perlegimus, nonnullis locis meminerimus Plutarchi libelli, qui fertur de superstitione. In fragmento 31 philosophus Romanus eodem modo cavillatus est deorum simulacra venerantes, quo Plutarchus (Augustini de civitate dei, lib. VI 10, B. Dombart[3], Lips. 1909) 'sacros inmortales, inviolabiles in materia vilissima atque inmobili dedicant, habitus illis hominum ferarumque et piscium, quidam vero mixto sexu, diversis corporibus induunt; numina vocant, quae si spiritu accepto subito occurrerent, monstra haberentur'.

Plutarchi de superstitione p. 410, 18 *εἶτα χαλκοτύποις μὲν πείθονται καὶ λιθοξόοις καὶ κηροπλάσταις ἀνθρωπόμορφα τῶν θεῶν τὰ σώματα εἶναι καὶ τοιαῦτα πλάττουσι καὶ κατασκευάζουσι καὶ προςκυνοῦσι.*

Porro, si fragmentum 34 legimus, eandem sententiam invenimus, quam apud Plutarchum, superstitiosorum deos peiores esse hominibus sceleratissimis (Augustini de civ. dei lib. VI 10): 'Tyranni laceraverunt aliquorum membra, neminem sua lacerare iusserunt. In regiae libidinis voluptatem castrati sunt quidam; sed nemo sibi, ne vir esset iubente domino manus adtulit. Se ipsi in templis contrucidant, vulneribus suis ac sanguine supplicant.'

Plutarchi de superstitione 420, 25 *εἰ δὲ Τυφῶνές τινες ἢ Γίγαντες ἦρχον ἡμῶν τοὺς θεοὺς ἐκβαλόντες, ποίαις ἂν ἥδοντο θυσίαις ἢ τίνας ἄλλας ἱερουργίας ἀπῄτουν;*

Denique videmus Senecam in fragmento 41 Iudaeorum ritus et maxime sabbatum irridere, eodem quo Chaeronensem philosophum modo (Augustini de civ. dei lib. VI 11): 'Hic (Seneca) inter alias civilis theo-

1) L. Annaei Senecae opera quae supersunt. supplementum ed. Fr. Haase, Lipsiae 1902 p. 22—25.


logiae superstitiones reprehendit etiam sacramenta Iudaeorum et maxime sabbata, inutiliter eos facere adfirmans, quod per illos singulos septenis interpositos dies septimam fere partem aetatis suae perdant vacando et multa in tempore urgentia non agendo laedantur'.

Plutarchi de superstitione p. 415, 13 *ἀλλ' Ἰουδαῖοι σαββάτων ὄντων ἐν ἀγνάπτοις καθεζόμενοι τῶν πολεμίων κλίμακας προστιθέντων καὶ τὰ τείχη καταλαμβανόντων οὐκ ἀνέστησαν, ἀλλ' ἔμειναν ὥσπερ ἐν σαγήνῃ μιᾷ τῇ δεισιδαμονίᾳ συνδεδεμένοι.*

Illis igitur reliquiis perlectis nobis est quaerendum, num ille Senecae dialogus fuerit fons, ex quo Plutarchus hausit. Ego quidem negem. Similitudo locorum allatorum extat quidem, sed non est tanta, ut opus sit putare Plutarchum secutum esse Romanum. Praeterea ex illo Senecae dialogo fragmenta nobis tradita sunt, quae Plutarchi sententiis similia offerre nemo dicat, vide fragm. 39 (Augustini de civ. dei lib. VI 10): 'Quid, quod et matrimonia deorum iungimus, et ne pie quidem, fratrum ac sororum! Bellonam Marti conlocamus, Vulcano Venerem, Neptuno Salaciam. Quosdam tamen caelibes relinquimus, quasi condicio defecerit, praesertim cum quaedam viduae sint, ut Populonia vel Fulgora et diva Rumina; quibus non miror petitorem defuisse.' Noster philosophus contra exemplum suum presse imitatus esse videtur, quod ne operam quidem dedit, ut materiam congestam ad suam opinionem redigeret. Accedit, quod verisimillimum est Plutarchi libellum, qui fertur de superstitione, esse ex primis scriptoris opusculis h. e. scriptum ante annum 100 p. Chr. n. (v. s. p. 1). At probatum est Plutarchum sermonem Latinum didicisse aetate demum virili et verisimillimum esse, illum non prius quam anno 107 p. Chr. n. scriptoribus Latinis usum

esse in libris conscribendis.[1]) Ergo, si libellus de superstitione scriptus est ante annum centesimum, Plutarcho Senecae dialogus tum notus fuisse non potest. Ex eo autem, quod in utroque libello saepius fere easdem opiniones legimus, cognoscitur utrumque scriptorem hausisse ex eodem fonte.

Si igitur stemmate quodam significem, quo modo illi libelli de superstitione nobis noti inter se sint conexi, Plutarchi fontem designans littera x, hoc proponam:



Ut iam eruamus, quisnam ignotus ille auctor fuerit, utamur alia ratione. Quaeramus enim necesse est, quam philosopham sectam secutus sit ille scriptor, cuius libellum in libro, qui inscribitur de superstitione, imitatus est Plutarchus. Ut illi quaestioni respondere possimus, commentarius supra scriptus nobis subveniat. Ibi enim vidimus Plutarchum repugnare Orphicis (ad p. 409, 4; 409, 5; 413, 4) et interdum Platoni Orphicos secuto (ad p. 409, 4), Epicureis (ad p. 403, 10), Stoicis (ad p. 403, 18). At secutus est Plutarchus Stoicos (ad 403, 7; 403, 10; 409, 5;

1) vide J. J. Hartmann, de Plutarchi studiis Latinis, Mnemosynae N. S. XXXIV (1906) 3, p. 307—16 (313).

411, 15), Platonem (ad 403, 1; 403, 3; 409, 16; 419, 18), Cynicos (ad p. 403, 7; 403, 10; 403, 13; 407, 16; 409, 5; 410, 18; 411, 15; 415, 26; 416, 9; 417, 5). Soli igitur philosophi, quibus Plutarchus numquam repugnat, quos persaepe secutus est, sunt cynici. Itaque apparet illum scriptorem, cuius libellum Plutarchus imitatus est, fuisse inter cynicos philosophos. Ergo opus est cynicum quendam scripsisse libellum, quo vehementissime impugnavit superstitionem. Quod per se est verisimile; nam Cynici acerrime vituperabant religionem popularem.[1]) Quod optime intellegitur ex illis fabulis, quae de conditoribus sectae cynicae olim circumferebantur. Afferam, quae de Diogene e Cynicorum thesauro tradit Diogenes Laertius VI 2, 37 *θεασάμενός ποτε γυναῖκα ἀσχημονέστερον τοῖς θεοῖς προςπίπτουσαν βουλόμενος αὐτῆς περιελεῖν τὴν δεισιδαιμονίαν, . . προςελθὼν εἶπεν, οὐκ εὐλαβῇ, ὦ γύναι, μή ποτε θεοῦ ὄπισθεν ἑστῶτος — πάντα γάρ ἐστιν αὐτοῦ πλήρη — ἀσχημονήσῃς;* [38] *τῷ Ἀσκληπιῷ ἀνέθηκε πλήκτην, ὃς τοὺς ἐπὶ στόμα πίπτοντας ἐπιτρέχων συνέτριβεν.* Ad haec bene quadrant, quae legimus apud Plutarchum de sup. p. 406, 15 *ῥίψεις ἐπὶ πρόςωπον αἰσχρὰς προκαθίσεις.* Mysteriis, quae summae esse saluti putabat plebs, Cynicus maxime illusit, ib. par. 39 *ἀξιούντων Ἀθηναίων μυηθῆναι αὐτὸν καὶ λεγόντων ὡς ἐν ᾅδου προεδρίας οἱ μεμυημένοι τυγχάνουσι, γελοῖον, ἔφη, εἰ Ἀγησίλαος μὲν καὶ Ἐπαμεινώνδας ἐν τῷ βορβόρῳ διάξουσιν, εὐτελεῖς δέ τινες μεμυημένοι ἐν ταῖς*

1) de Cynicis vide Jac. Bernays, Lucian und die Kyniker, Berlin 1879; Zeller II 1, p. 280—336; Theod. Gomperz, Griechische Denker II, Leipz. 1902, p. 112—138; J. Geffken, Kynika und Verwandtes, Heidelberg 1909; Ed. Schwartz, Charakterköpfe aus der antiken Literatur, 2te Reihe, 5 Vorträge, Leipz. 1910, p. 1—26, Diogenes der Hund und Krates der Kyniker.

μακάρων νήσοις ἔσονται. Ut tali superstitione et timore dei plebem liberarent, spectabant cynici philosophi; ib. par. 48 *λέγοντος δ' αὐτῷ τινος ἰσχυρῶς δεισιδαίμονος, 'μιᾷ πληγῇ τὴν κεφαλήν σου διαρρήξω', ἐγὼ δέ γε, εἶπε, πταρὼν ἐξ ἀριστερῶν τρέμειν σε ποιήσω.* Eadem causa commotus timorem somniorum impugnavit Cynicus ille, ib. par. 43 *πρὸς δὲ τοὺς περὶ τὰ ὀνείρατα ἐπτοημένους ἔλεγεν ὡς ὑπὲρ ὧν μὲν πράττουσιν ὕπαρ, οὐκ ἐπιστρέφονται, ὑπὲρ ὧν δὲ καθεύδοντες φαντασιοῦνται, πολυπραγμονοῦσιν* (vide Plut. de sup. p. 405, 25 sqq.). Lustrationibus illusit Diogenes philosophus ib. par. 42 *ἰδών τινα περιρραινόμενον ἐπεῖπεν, 'ὦ κακόδαιμον, οὐκ ἐπίστασαι ὅτι ὥσπερ τῶν ἐν γραμματικῇ ἁμαρτημάτων περιρραινόμενος οὐκ ἂν ἀπαλλαγείης, οὕτως οὐδὲ τῶν ἐν τῷ βίῳ'* (vide Plut. de sup. p. 406, 11); Cynico nihil videbatur impurum (*ἀκάθαρτον*), itaque illis non opus fuit lustrationibus (*καθαρμοί*), ib. par. 63 *πρὸς τὸν ὀνειδίζοντα ὅτι εἰς τόπους ἀκαθάρτους εἰσίοι 'καὶ γὰρ ὁ ἥλιος', ἔφη, 'εἰς τοὺς ἀποπάτους, ἀλλ' οὐ μιαίνεται'* (vide Plut. de sup. p. 419, 26). Eodem modo, quo Diogenes, posteriorum quoque temporum Cynici cogitaverunt; itaque illa Diogenis dicta et facta pervulgaverunt.

Videmus igitur Cynicos impugnavisse omnes superstitiones; in Cynicis igitur, ut fuerit philosophus quidam, qui scripsit libellum contra superstitiosos, fieri potest. Quis autem fuit ille Cynicus philosophus? Quaestio non difficilior videtur, nam Cynicorum philosophorum, qui scripserunt libellos, numerus non est maximus. Fuitne Antisthenes, qui condidit sectam Cynicam, fuitne Crates ille an Bion? Ut Antisthenes fuerit Plutarchi auctor fieri non potest, nam ante Menandrum, quo Plutarchi auctor usus est (vide supra p. 81 sqq.), fuit, et eadem de causa non puto Cratetem ex Menandri fabulis hausisse. Sed spectemus

Bionem. Dicit Plutarchus ipse se usum esse Bionis libello quodam p. 413, 7 *αἱ δὲ γρᾶες καθάπερ παττάλῳ, φησὶν ὁ Βίων, ὅτι ἂν τύχωσιν αὐτῷ περιάπτουσι.* Sed priusquam quaeramus, num sint alia quoque Bionea in Plutarchi libello, de Bione et illius scriptis nonnulla disseramus. Bion,[1]) qui vixit saeculo tertio, secutus est Cratetem, Theophrastum, Theodorum Cyrenaicum philosophos. Maxime omnibus temporibus impugnavit superstitiosos. Quod concluditur iam ex ipso Plutarchi loco supra commemorato, in quo legimus, quomodo philosophus ille superstitiosis illuserit, praecipue illis, qui crediderunt fieri posse, ut amuletis usi se defenderent a daemonibus infestis (Plut. de sup. p. 413, 7 sqq.). At illa opinio Bionem semper repugnavisse superstitiosis refutari videtur loco quodam in Bionis vita, quam praebet Diogenes Laertius, tradito IV 54 *καὶ ὕστερόν ποτε ἐμπεσὼν εἰς νόσον ὡς ἔφασκον οἱ ἐν Χαλκίδι — αὐτόθι γὰρ καὶ κατέστρεψε — περίαπτα λαβεῖν ἐπείσθη καὶ μεταγιγνώσκειν ἐφ' οἷς ἐπλημμέλησεν εἰς τὸ θεῖον.* Sed illius vitae a Diogene Laertio proditae pars maior ab obtrectatore Bionis scripta est, qui criminibus falsis usus Bionem suspectum reddere voluit.[2]) Inter haec falsa crimina est locus supra commemoratus, cuius causam cognoscimus, si putamus illam fabulam inventam esse de homine, qui vivus maxime oppugnavit superstitionem. Locus ille igitur revera est gravissimum argumentum Bionem per totam vitam impugnavisse superstitio-

1) De Bione vide Fr. Susemihl, Geschichte der griech. Litteratur in der Alexandrinerzeit I, Leipz. 1891 p. 32 sqq.; von Arnim in libro Pauly-Wissowa Realencycl. s. v. Bion 10; W. von Christ Gesch. der griech. Litt. 5. Aufl. von W. Schmid, München 1909 II 1 p. 65; O. Hense, Teletis reliquiae, Tubingae 1909 Prolegomena.

2) Erw. Rohde, der griech. Roman und seine Vorläufer[2], Leipz. 1900 p. 267 annot. 1.

nem.[1]) Quod verum esse eo demonstratur, quod Bion illusit vatibus, qui homines terrebant rebus infernis, Diog. Laert. II 135 *Βίωνός τε ἐπιμελῶς κατατρέχοντος τῶν μάντεων, νεκροὺς αὐτὸν ἐπισφάττειν ἔλεγε Μενέδημος.* Poenae infernae, quibus philosophi quidam plebem coerceri putabant, Bioni erant ludibrio, Diog. Laert. IV par. 50 *ἔλεγε Βίων δὲ τοὺς ἐν ᾅδου μᾶλλον ἂν κολάζεσθαι εἰ ὁλοκλήροις καὶ μὴ τετρημένοις ἀγγείοις ὑδοφόρουν.*[2]) Bionem autem etiam scripsisse contra superstitiosos ex Plutarchi loco supra commemorato videmus. Scripsit enim Bion libellos complures, quorum pauca fragmenta tenemus. In eis excoluit primus illud dicendi genus, quod nominamus diatribam.[3])

Optime igitur omnia quadrant ad opinionem Bionem scripsisse libellum quendam de superstitione. Et necessarium paene est Plutarchum illo libello Bionis usum esse, cum viderimus scriptorem illum, cuius opere usus est Plutarchus, fuisse Cynicum philosophum, ex omnibus autem Cynicis scriptoribus solum Bionem nomine a Plutarcho commemoratum et illius dictum allatum esse. Praeterea illi coniecturae favet, quod Plutarchus in libello, qui inscribitur de superstitione, maxime imitatus est diatribae genus dicendi (v. supra p. 65 sq.). Quia Bion, cuius ex opere Plutarchus sumpsit materiam, usus est illo genere dicendi, quam nominamus 'diatribam', Plutarchus quoque in libello scribendo diatribae genus dicendi usurpavit.

1) O. Hense, Teletis reliquiae[2] p. LIX.

2) ibid. p. LXI.

3) U. von Wilamowitz-Moellendorff, der kynische Prediger Teles, Philol. Untersuch., herausg. von A. Kiessling u. U. v. Wilamowitz-M., Berlin 1881; Paul Wendland, Philo und die kynisch-stoische Diatribe, Beiträge zur Geschichte der griech. Philos. und Relig. von P. Wendland und O. Kern, Berlin 1895; Paul Wendland, die hellenistisch-römische Kultur in ihren Beziehungen zum Christentum, Tübingen 1907, p. 39 sqq.

Sed invenitur discrepantia quaedam inter Plutarchi libellum et Cynicorum doctrinam puram in illis libelli partibus, quas ex Bionis diatriba haustas esse putamus, quae opinioni Bionem esse Plutarchi auctorem contradici videatur. In Plutarchi libello, qui inscribitur de superstitione, confertur impius cum superstitioso et, ut iam supra demonstravimus, impius se praebet multo meliorem superstitioso. Quin etiam *ἀθεότης* nonnullis locis non videtur vitium esse sed virtus. Ea sententia non consentit cum Cynicorum doctrina. Nam nunquam Cynici negaverunt esse deum, sed hoc negaverunt esse deos eosque similes hominibus, vide Zeller l. c. II 1 p. 328 sqq. Nostrum igitur erit inter Cynicos philosophos invenire illum, quem etiam deum negavisse verisimile videtur. Quaestio facile ad exitum adducitur. Ille philosophus Cynicus est Bion Borysthenites. Bion, ut supra dixi, secutus est Theodorum, quem deos plane negavisse non ignoramus, vide Zeller l. c. II 1 p. 376 annot. 3. Qua de causa Theodoro cognomen *ἄθεος* id est 'impius' datum est. Nonnulla autem Theodorea recepit Bion, praecipue illius philosophi sententiam deum non esse, vide von Arnim, Pauly-Wissowa Realencycl. s. v. 'Bion 10'; Otto Hense, Teletis reliquiae[2], p. LXXIV sqq. Quod probat locus hic in Bionis vita a Diogene Laertio tradita scriptus II 54 *πολλὰ δὲ καὶ ἀθεώτερον προεφέρετο τοῖς ὁμιλοῦσι, τοῦτο Θεοδώρειον ἀπολαύσας.* Is quaestionis finis est. Iam probatum est Plutarchum in libello, qui fertur de superstitione, scribendo usum esse Bionis diatriba quadam, quae erat de superstitione et negatione deorum.

Nunc autem spectemus, quomodo se habeant scriptores illi, qui easdem sententias produnt quas Plutarchus.

In Graecorum enim et Romanorum libris sunt

nonnulli loci, qui praebent sententias similes illis, quas prodit Plutarchus in libello, qui fertur de superstitione. Verisimillimum est illos locos esse sumptos ex eiusdem scriptoris opere quodam, quo usus est Plutarchus. Nonnullos locos, qui spectant ad hanc quaestionem, iam contulit D. Wyttenbach in libro commemorato, nonnullos ego adinveni.

Primus nobis commemorandus est Horatius, qui in sermone III (vers. 281—95) libri II superstitiosis illudit; in illius versibus nonnulla Plutarcheis similia insunt, vide Hor. serm. II 3 vers. 288 et Plut. de sup. p. 412, 14—17 (dei mittunt dolores); vide Hor. serm. II 3 vers. 290 sqq. et Plut. de sup. p. 406, 11 (aqua lustrantur superstitiosi).

Transeamus ad A. Persium Flaccum, cuius satura II fertur de impiis et stultis hominum votis deque prava temporum luxuria; hic inveniuntur, quae nos admonent de sententiis quibusdam in Plutarchi, qui fertur de superstitione, libello scriptis, vide Pers. II 15 et Plut. de sup. p. 406, 11 sq. (superstitiosus inquinatus aqua lustratur); Pers II 52—75 et Plut. de sup. p. 418, 16 sqq. (deis esse eadem vitia, quae hominibus, putant superstitiosi).

Neque praetermittam Iuvenalem satirarum poetam, qui nonnullis satirarum locis illudit superstitioni.[1]) In eis esse pauca Plutarcheis simillima apparet, vide Iuv. sat. XIV 96—106 et Plut. de sup. p. 415, 12 sqq. (Iudaeorum ritus irridentur); Iuv. sat. III 265—67 et Plut. de sup. p. 408, 26 sqq. (superstitiosi Orcum timent).

Denique commemorem iterum Senecam, de quo iam supra p. 84 sqq. verba feci. Nam non modo in illius libello, qui ferebatur de superstitione, in-

1) Locos accurate contulit Reinoldus Schuetze, Iuvenalis ethicus, Gryphiae 1905 p. 77 sq.

veniebantur sententiae, quae sunt Plutarchi opinionibus similes, sed etiam in aliis libris. Spectemus Sen. ep. 123, 16 sq.; de clem. II 5 et Plut. de sup. p. 410, 15—17 (superstitio, quos amare debet, timet, quos colit, violat).

Postquam scriptores Latinos percurrimus, ad scriptores Graecos transeamus. Sunt autem tam multi, in quorum libris insunt Plutarcheis similia quaedam, ut omnes enumerare in animo non habeam. Itaque illos tantum scriptores, qui sunt gravissimi, in hac quaestione discernenda adhibeam.

Atque primo loco Philo, philosophus ille Iudaeus, commemorandus est, e cuius multis multorum librorum locis, qui referri possunt ad Plutarchum, pauca prodam.[1]) Phil. de somn. 1126 d et Plut. de sup. p. 405, 25 sqq. (Orcus terret superstitiosum); Phil. de ebrietate p. 256 c et Plut. de sup. p. 416, 15—17 (superstitio est impietas); Phil. de migr. Abrahami p. 405 b adulatores similiter notat ac Plutarchus de sup. p. 418, 23—26 superstitiosos.

Deinde spectemus Musonium Rufum, illum philosophum Romanum, qui Nerone et Galba imperatoribus Graece scripsit dissertationes, or. XX (*Μουσωνίου ἐκ τοῦ περὶ σκευῶν*, ed. O. Hense, Lipsiae 1903, p. 110 vers. 3 sqq.) et Plut. de sup. p. 406, 24 sqq. (lectuli luxuriosi irridentur).

Similia leguntur in operibus Dionis Chrysostomi, qui iisdem fere temporibus fuit, quibus Plutarchus, or. XVI 7—8 et Plut. de sup. p. 414, 18—25 (in rebus adversis necesse est nos ipsos rem bene gerere).

Transeamus iam ad Lucianum, cuius permultae sunt sententiae similes eis, quas prodit Plutarchus in libello, qui fertur de superstitione. Luc. *Ἀληθοῦς*

1) Philonis locos iam Wyttenbach omnes contulit; itaque necesse non est me eos exscribere.

ἱστορ. II cap. 30 et Plut. de sup. p. 409, 1 sqq. (vide supra p. 25); Luc. *Ζεὺς ἐλεγχόμ.* par. 5—6 et Plut. de sup. p. 418, 20 sqq. (res adversas a deis missas esse superstitiosi opinantur); Luc. *περὶ τῆς Συρίης θεοῦ* par. 58 et Plut. de sup. p. 420, 17 sqq. (superstitiosi suos ipsorum filios interficiunt); Luc. *Θεῶν ἐκκλησία* par. 4 sq. et Plut. de sup. p. 410, 18 sqq. (homines permira deorum simulacra faciunt).

Quin etiam apud scriptores christianos eaedem sententiae reperiuntur, quas apud Plutarchum legimus. Ex illis nullum afferam nisi Aristidem, qui viguit temporibus imperatoris Romani Antonini Pii. Arist. apol. cap. 8 par. 1. 2 (Zwei griechische Apologeten von J. Geffken, Leipz.-Berlin 1907, p. 12 v. 11) et Plut. de sup. p. 420, 10 sqq. (superstitiosi suos ipsorum liberos interfecerunt); Arist. ap. cap. 13, par. 1. (p. 19, 18 sqq.) et Plut. de sup. p. 410, 18 (homines permira deorum simulacra faciunt); Arist. ap. cap. 13, par. 7 (p. 20, 24 sqq.) et Plut. de sup. p. 421, 4 sqq. (aut mythi sunt falsi, aut dei sunt homines); Arist. ap. cap. 14 par. 4 (p. 22, 16 sqq.) et Plut. de sup. p. 415, 13 sqq. (Iudaeorum ritus irridentur).

Eorum, qui post Plutarchum fuerunt, unum non praetermittam, Maximum Tyrium, qui temporibus Commodi imperatoris scripsit disputationes populares. In illis quoque dialexesi nonnulla Plutarchea leguntur[1]). Or. IV IV e (Maximi Tyri philosophumena ed. H. Hobein, Lips. 1910 p. 44 v. 18 sqq.) et Plut. de sup. p. 408, 26 sqq. (superstitiosi Orcum esse plenum innumerabilium poenarum putant); or. XIV VI f (p. 178, 4 sqq.) et Plut. de sup. p. 411, 2—5 et p. 418, 26 sqq. (superstitiosus deos, quos timet ut tyrannos, adulatur).

Quibus expositis restat, ut quaeramus, quis fuerit

1) Plutarchi ipsius operibus Maximus non usus est, vide H. Hobein, de Maximo Tyrio, Gottingae 1895 p. 83 sqq.

ille liber, e quo natae sint tamquam ex una radice sententiae Horatii et Persii et Iuvenalis et Senecae et Philonis Iudaei et Musonii Rufi et Dionis Chrysostomi et Luciani et Aristidis et Maximi Tyrii. Si, quae adhuc exposui, recte dixi, me nunc probare illos quoque omnes scriptores aut ipsos aut per intermedios auctores secutos esse Bionem necesse est. Quod revera aut iam probaverunt viri docti, aut nunc probari potest. Ita diatribas secutum esse Maximum Tyrium probavit H. Hobein, de Maximo Tyrio, Gottingae 1895, p. 83 sqq.; R. Helm, Lucian und Menipp, Leipz. Berlin 1906, p. 51,[1]) diatribis usum esse Aristidem J. Geffken, Zwei griechische Apologeten, p. XXXIX et XL,[2]) diatribas, ut Cynicis illuderet, imitatum esse Lucianum J. Bernays, Lucian und die Kyniker, Berlin 1879 p. 46 sqq.[3]) Ex diatribis sumpsisse materiam Dionem Chrysostomum ostendit E. Weber, de Dione Chrysostomo, Cynicorum sectatore, Leipz. Stud. X (1887) p. 79 sqq.,[4]) Musonium Rufum O. Hense, C. Musonii Rufi reliquiae, Lips. 1905 p. IX—XIX,[5]) Philonem Iudaeum P. Wendland, Philo und die kynisch-stoische Diatribe, Beitr. z. Gesch. d. griech. Philos. u. Religion 1895 p. 7 sqq. Diatribis Romani quoque scriptores usi sunt in libris scribendis, praecipue qui fecerunt satiras; in illis esse Iuvenalem docet R. Schuetze, Iuvenalis ethicus, Gryphiae 1905 p. 6 sqq., Persium Aug. Eichenberg, de Persii satirarum natura atque

1) vide P. Wendland, die hellenistisch-römische Kultur p. 43; Christ-Schmid, Gesch. d. griech. Litt.[5] II 1 p. 41.

2) vide P. Wendland, die hellenistisch-röm. Kultur p. 43.

3) vide Rud. Helm, Lucian und Menipp, p. 44 sqq.

4) vide H. v. Arnim, Leben und Werke des Dio von Prusa, Berlin 1898 p. 259 et 263 sqq.; P. Wendland, Hellenistisch-röm. Kultur p. 43; R. Helm, Lucian und Menipp p. 93.

5) vide P. Wendland, Quaestiones Musonianae, Berolini 1886 p. 37 sq.; R. Helm, Lucian und Menipp, p. 169 sq.

indole, Vratislaviae 1905 p. 5 sq., Horatium, qui ipse pronuntiat se sermones Bioneos novisse (Epist. II 2 v. 60) R. Heinze, de Horatio Bionis imitatore, Bonnae 1889. Videmus igitur causam, cur nonnulli scriptorum quorundam loci similes sint Plutarchi libello, qui fertur de superstitione, hanc esse: Plutarchus sumpsit materiam ex opusculo Bionis, quod erat de superstitione et negatione deorum. Sententias, quas Bion prodiderat in illo opusculo, scriptores quoque, qui scripserunt diatribas, receperunt. Ex illis diatribis sumpserunt Horatius, Persius, reliqui.

Sed redeamus ad illos auctores, quos de eodem argumento scripsisse scimus, de quo Plutarchum, ad Senecam, Antipatrum, Menandrum, Theophrastum. Supra ostendi verisimillimum esse Senecam scribentem dialogum de superstitione ex eodem opere sumpsisse materiam, ex quo Plutarchum. Senecam autem novisse diatribas et Bionis opuscula optime probavit Henricus Weber, de Senecae philosophi dicendi genere Bioneo, Marpurgi Cattorum 1895, p. 1—6, unde concludere licet Senecam in dialogo de superstitione Bionis eundem librum secutum esse, quem Plutarchum, illa autem Bionea, quae in aliis Senecae libellis inveniuntur, plerumque ex diatribis sumpta esse.


De Antipatro Tarsensi certa statui non posse cum supra dixerim, eum Bionis asseclam appellare non audeo.

E Menandro verisimillimum videbatur (supra p. 81 sqq.) scriptorem, quem secutus est Plutarchus, multa sumpsisse. Si igitur Plutarchus ex Bionis opere quodam sumpsit materiam, necesse est probari posse Bionem persaepe Menandri fabulis usum esse. At illud accurate probatum est ab Ottone Hense, Teletis reliquiae[2], p. LX sq. et optime intellegi potest

ex illo loco, quo Plutarchus Bionem affert (vide supra p. 90).

Restat denique, ut Theophrastum spectemus. Illius characterem XVI similitudinem habere quandam cum Plutarchi libello supra vidimus, quae eo facta est, quod Plutarchus Bionis opere quodam usus est in libello, qui fertur de superstitione scribendo. Bion enim utebatur magistro Theophrasto; quin igitur magistri potissimum recitationibus ac libris aluerit facultatem vitam virtutesque certis signis et notis describendi, quis dubitet?[1])

Sed iam ad extremum altero stemmate complectamur, quomodo omnes illi scriptores supra commemorati inter se sint conexi.



Sed postremo statuamus in hoc libello quae sint Bionea, quae Plutarchea. Crediderit quispiam illas partes, quibus dicendi genus diatribae est, ex Bionis opusculo sumptas, reliquas a Plutarcho ipso esse scriptas. Illa autem opinio est falsa; nam supra

1) vide O. Hense, Teletis reliquiae p. LXVIII.

p. 71 sqq. vidimus in primis libri capitibus esse sententias Plutarcheas et verisimillimum videri illarum partium auctorem esse Plutarchum; attamen etiam in his capitibus diatribae sermonem invenimus, vide ad p. 403, 8; 403, 10; 403, 12. Eodem modo autem in Bioneis quoque sententiis Atticorum sermonem legimus, quos Plutarchum in ceteris libris etiam imitatum esse non ignoramus, v. ad p. 403, 13. Dicendi igitur genus nobis non certe indicat, qui loci Bioni debeantur, quos Plutarchus ipse scripserit. Itaque in hac quaestione sententiae opusculi solae nobis subveniant. Iam supra enim (p. 97) dixi Plutarchum in libello scribendo Bionis diatriba, quae erat de superstitione et negatione deorum, usum esse. In illa diatriba Bion contulerat impium cum superstitioso et ostenderat quomodo uterque in rebus secundis et adversis se gereret. Superstitiosus vehementissime vituperatus erat, minime autem impius. Quin etiam ubi comparabantur superstitiosus et impius, superstitioso antepositus erat impius (v. s. p. 73). Hae sententiae in mediis Plutarchi opusculi capitibus legimus, inde a p. 405, 6 *φόβων δὲ πάντων ἀπρακτότατος καὶ ἀπορώτατος ὁ τῆς δεισιδαιμονίας* maxime vituperatur superstitio miserrima et comparatur cum negatione deorum. Inde ab illo igitur loco Bionem Plutarchus secutus est, cum in capitibus primis et in ultimis sententiis Chaeronensem suam ipsius sententiam offerre ostenderim (s. p. 72 sqq.).

Sed in his capitibus mediis quoque Plutarchus non plane imitatus est Bionem; verisimillimum puto Chaeronensem nonnulla omisisse, quae vehementius suae sententiae contradixerunt, nonnulla parvula addidisse. Supplementi exempla praebeam. In p. 408, 4 legimus *παρ' ὧν αἰτούμεθα πλοῦτον εὐπορίαν εἰρήνην ὁμόνοιαν ὄρθωσιν λόγων καὶ ἔργων τῶν ἀρίστων*. Cynicos

a deis divitias petivisse statuere non licet, cum sit contra illorum philosophorum doctrinam (vide supra p. 8). Vocabulum *πλοῦτον* igitur Plutarchum addidisse puto. In p. 416, 23 sqq. *ἐγὼ οὖν ἂν ἐθέλοιμι μᾶλλον τοὺς ἀνθρώπους λέγειν . . μήτ' εἶναι Πλούταρχον κτλ.* Cum totius loci color sit Bioneus, verisimile videtur Plutarchum Bionis nomen mutavisse in *Πλούταρχον*. In p. 418, 26 sqq. *Ἀλέξανδρον Ἑρμόλαος ἐθεράπευε, Παυσανίας ἐδορυφόρει Φίλιππον, Χαιρέας Γάιον κτλ.*, verba *Χαιρέας Γάιον* Plutarchi esse temporum ratio suadet, cum verba antecedentia Bionea esse putem (vide supra p. 61). Exemplum enim tertium, cum sit ex temporibus multo posterioribus quam primum et alterum ad illa non plane quadrat. Aliis autem locis talia indicia nobis praesto non sunt, ita ut non ubique certo distinguere possimus Plutarchea a Bioneis.

Vita

Natus sum Gualterus Abernetty Taplackeni a. d. XVI Kal. Ian. anni MDCCCLXXXVIII patre Carolo matre Augusta e gente Loyal, quibus viventibus gaudeo. Fidem confiteor evangelicam. Litterarum elementis a patre imbutus a vere anni MDCCCXCVIII gymnasium regium Guilelmianum Regimonti per novem annos frequentavi, quod florebat tunc *Aemilio Grosse* †, *Ernesto Wagner* rectoribus. Vere anni MCMVII maturitatis testimonium adeptus numero civium universitatis Regimontanae adscriptus sum, ubi per quattuor annos studiis philologis archaeologicis germanicis operam navavi.

Docuerunt me viri doctissimi *Ach*, *Baumgart*, *Benrath*, *Deubner*, *Goedeckemeyer*, *Haendcke*, *Hallervorden*, *Jeep* †, *Ludwich*, *Meissner*, *v. Negelein*, *Rossbach*, *Rühl*, *Tolkiehn*, *Wünsch*.

Regii philologorum proseminarii sodalis fui per tria semestria, seminarii per ter sex menses, germanici seminarii, cui moderabatur *Meissner*, per quinque semestria, cui *Baumgart*, per bis sex menses. Praeterea ad exercitationes archaeologicas benigne me admisit *O. Rossbach*. Denique societatis Plautinae a *Ludovico Jeep* per quattuor semestria, graecae a *Ludovico Deubner* et *Ricardo Wünsch* institutae per ter sex menses interfui.

Quibus viris doctissimis omnibus gratias ago quam plurimas, imprimis autem *Ricardo Wünsch*, qui semper opera et consilio me benevolentissime adiuvit.